DE ACCENTU LINGUAE LATINAE

VETERUM GRAMMATICORUM TESTIMONIA

COLLEGIT DISPOSUIT ENARRAVIT

FRIDERICUS SCHOELL

VIMARIENSIS

CAPUT I.

De veterum grammaticorum in explicando accentu fontibus et auctoritate.

Priusquam ad ipsa grammaticorum de accentu praecepta recensenda accedam, non inutile esse duco paucis de eorum fontibus disserere[1]). Nam ab eis, qui nostra aetate latini accentus rationem exposuerunt, saepe non satis respicitur plerosque grammaticos non suae aetatis inventa referre, sed traditam antiquitus disciplinam vel explanare vel in epitomarum angustias compellere. Itaque haud raro invenies, si quid Diomedes narrat, id quarto quintove imputari saeculo, vel Prisciani praecepta ad illius aetatis consuetudinem referri; quin etiam de 'grammaticorum temporibus' locuntur, quae qualis sit temporis definitio vix perspicias. Hoc autem in ea grammaticae parte, quae in pronuntiatione versatur, multo maioris momenti esse quam in ceteris per se apparet: possunt nihilo minus falsa, immo ineptissima esse, quae proferunt grammatici: verum ubi eos ex antiquioribus fontibus hausisse demonstratum sit, non sunt ex posterioris aetatis inscientia, sed ex eisdem rationibus refutandi, quibus vel Varronis optimorumque grammaticorum placita reicimus. Quanquam esse etiam, quae posterioribus temporibus tribuenda sint, quis est qui neget? Iam igitur ad propositum nos convertamus.

Num ei, qui primi quaestiones grammaticas tractarunt, Accii Luciliique etiam accentibus studium navarint, Corssenus in incerto relinquit. Id quamvis facile putari possit cum

[1]) Corssenus, *Ausspr.*, *Voc.* etc. II² p. 794 sq. cum nonnulla significavit potius quam expedivit, tum ne satis quidem accurate omnia.

de aliis tum de M. Antonio Gniphone, quem non solum 'de sermone latino' duo volumina conscripsisse Suetonius narrat, verum etiam rhetoricam tradidisse, quae ipsa item pronuntiationem attingit, tamen habeo cur id minus veri simile esse credam. Cicero enim, cum Tyrannio[1]) libro περὶ προσῳδιῶν recitato Atticum summa affecisset et delectatione et admiratione, haec ad amicum perscripsit (ad Att. XII, 6, 2): 'Venio ad Tyrannionem. ain tu? verum hoc fuit? sine me? at ego quoties cum essem otiosus, sine te tamen nolui. quomodo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris, quod ut facias etiam atque etiam rogo. etsi me non magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectavit. amo enim πάντα φιλόδημον teque istam tam tenuem θεωρίαν tam valde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia: scire enim vis quo uno animus alitur. sed quaeso quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος?' Tali ratione nescio an eo minus Cicero locuturus fuisset, nisi nova haec de accentibus materia et inaudita Romae fuisset, quando in 'oratore' suo eodem illo tempore edito — in hac enim commemoratur epistula — ipse in transcursu mentionem eius incohaverat. Quare ut Cratetem Romanos ad studia grammatica compulisse scimus, ita Tyránnionem eis hanc eorum partem aperuisse crediderim, illum autem 'oratoris' Ciceroniani locum (LVI) primum omnium de accentu latino testimonium esse[2]): id quod non modo ad doctrinae historiam, sed ad ipsam doctrinam pernoscendam aliquid valere videbimus.

Iam eorum, qui post Tyrannionem paulo fusius et uberius de accentibus disputarunt, primus est M. Terentius Varro. Nigidius autem Figulus etsi fere omnes artis et scientiae partes amplexus in 'commentariis grammaticis' etiam 'voculationem' respexit, tamen apud posteriores grammaticos nullum doctrinae vestigium reliquit; nam ne illius

---

[1]) Maiorem natu grammaticum, Amisenum, intellegendum esse, non eius filium, vix est quod moneam post Planeri de hac re disputationem: de Tyrann. gramm. Berol. 1852 (progr. gymn. Ioach.).

[2]) Numeri locis adscripti ad eam testimoniorum de accentu collectionem spectant, quae has commentationes subsequetur.

quidem praecepti singularis, quod servavit Gellius XIII, 26 (XCV), apud Servium et Priscianum (XCVI[a—c]), ubi de eisdem vocabulis disserunt, mentio inicitur; neque 'voculationis' appellationem praeter Gellium (XXXVIII) quisquam commemorat. Sed Varro quid statuerit ante omnia comperimus ex praeclaro illo fragmento, quod post Wasium ('Senarius s. de leg. et lic. vet. poet.' Oxon. 1687) accuratius e cod. Lavantino in 'Analectis Vindobonensibus' expressum est; idem et Keilius inter Sergii explanationes exhibuit usus etiam cod. Oxoniensi ex quo Wasius ediderat, et eodem fere tempore, ita ut neuter alterius opera uti posset, A. Wilmannsius magna ex parte Varronianis fragmentis inseruit explicationibus emendationibusque additis[1]). Hoc fragmentum cum propter condicionem criticam modo adumbratam tum propter summam qua floret auctoritatem non solum ubi praecepta ex eo transscripsi impensius curavi, sed etiam hoc loco accuratius considerandum puto. Etenim cum Corssenus pleraque ad Varronem rettulisset, Langenus (Philol. t. XXXI (1871) p. 117 sq.) hanc impugnare studuit sententiam neque tamen, quid Varroni tribuendum esset, adstrictius circumscripsit. Miror autem neutrum virorum doctorum seu novisse seu respexisse Wilmannsii disputationem, qui diligentissime hanc quaestionem pertractavit (de M. Ter. Varr. l. gr. p. 49 sqq.). Vidit is enim duas vel potius tres partes distinguendas esse. Ac prima non nisi volgatissima praecepta traduntur, qualia cum apud alios tum apud Maximum Victorinum qui ferebatur exstant: quapropter Wilmannsius ex ipso Victorino depromptam esse hanc particulam sibi persuasit. Sed cum in exemplis singulisque verbis quamvis parva sit discrepantia, cavendum est ne certius quid statuamus: in his enim grammaticis utrum alius alium exscripserit an e communi pendeant fonte, saepe vix discerni posse inter omnes constat. In hac autem particula cum de enuntiandis graecis nominibus iam trita regula prolata sit

---

[1]) Denique nuper in praef. Herodianea Lentzius proposuit, qui tamen neque Keilii neque Wilmannsii editionem contulit, sed Endlicheri exemplar expressit una adhibita emendatione, quam ipsam praeripuerat Wilmannsius.

(CLXXIV^d), in proximis longe doctissima de eadem re explanatio repetitur, ut prorsus diversae originis praecepta coniuncta esse manifestum sit. Iam vero cum in hac parte nonnulla cum Servii commentario Vergiliano concinerent, Wilmannsius fortasse ipsum Servium haec composuisse coniecit, ex quo totius libelli compilator et haec et quae secuntur e Varronis libris desumpta hausisse videretur. Sed in hac re cum Wilmannsio facere non possum; Servio enim multo antiquiorem esse hunc pannum ex dicendi genere dilucide colligi potest: nam et 'tonores' vocantur accentus (CLXXI; cf. Quint. I, 5, 22 XXXVII) et genetivus appellatur 'patricus casus', quod nusquam inveni nisi apud Varronem[1]). Hunc vero quoniam 'quam maxime vicina graecis graeca dixisse', 'nec latinis regulis alligari debere' ea — id quod etiam in illo libello praecipitur — duplici Plinii testimonio constat (cf. Wilmanns. l. s. s. p. 158 et 223), facile opinari possumus eum, ex quo compilator Varroniana decerpsit, etiam in hac parte Varronis praeceptis ita usum esse, ut ea exemplis ex Vergilio petitis illustraret. Quare si qua est Servii Vergiliani cum his praeceptis communio, ille potius ex commentis eiusdem grammatici — qui quis fuerit postea apparebit — petiisse quaedam videtur. Has igitur si mittimus libelli partes, quae restant fere omnia ad Varronem redire Wilmannsius planissime explicavit[2]); idem coniunctis Gellii et Acronis testimoniis tertio librorum 'de sermone latino' haec assignanda esse certa ratione effecit. Varronem autem vel maxime Tyrannioni adhaesisse satis apertum est; quem si Corssenus praeterea Glaucum, Hermocratem, Theophrastum, Athenodorum, Eratosthenem, Theodorum inspexisse contendit, de eo dubitari potest; nam quod dicitur 'quos omnes sibi auctores fuisse Varro commemorat', non excludit eum vel illorum notitiam ex Tyrannione percepisse.

---

[1]) De l. l. VIII, 66; 67; IX, 54; 76; 85. Cf. praeterea Gell. IV, 16 (ap. Varr. et P. Nigid.) 'senatuis et domuis et fructuis, qui est patrius casus ab eo quod est senatus' etc. et Prisc. V, 72 (185, 14 H.) 'genetivus autem, qui et possessivus et paternus appellatur'.

[2]) Quid aliter definiam, cum in annotationibus ad testimonia indicavi tum in capite quinto declarabo.

Iam quaerenti num apud alios grammaticos certa Varronianae doctrinae appareant indicia, unum mihi exstare visum est, de quo ambigi non possit; nam quae ex Verrio Flacco in Festi Paulique excerptis de accentu traduntur utrum e Varrone an ex aliis profluxerint, quis est qui decernat? Sed Martianum Capellam notum est, etsi ipsum non adhibuerit Varronem, tamen in permultis rebus eius opibus niti[1]); is autem ubi ad accentus tractandos pervenit haec habet (XCI[a]): 'Mutant accentus adiunctis vocibus 'que' 've' 'ne', cum tamen complexiva coniunctio est 'que', 've' cum expletiva, ut 'Latiumque augescere multis' et 'stimulove meum cor' apud Accium in Pelopidis'. Iam vero cum Gellius disertis verbis tradat (LXXXII) Varronem 'mutant accentus' dixisse pro 'mutantur'[2]), verba quae transscripsi — nam quae secuntur cum eis non cohaerent — eo certiora Varronianae doctrinae vestigia referunt[3]), quod Ennii (Ann. 455 V.) et Accii (trag. Rom. fragm.[2] p. 202 R.) loci proponuntur Martiano haud quaquam familiarium. De alio quodam huius scriptoris praecepto, quod item Varroni attribuo, alio loco dicendum erit. Quem vero potissimum secutus sit Martianus et unde Varroniana illa decerpserit, recte in dubio relinquit Eyssenhardtus[4]). De Prisciano autem, quem ipsum Varronem ad-

---

[1]) Ex tertio libro, quo artem grammaticam illustrat, hoc et forma 'lact' allata et Ritschelii quodam invento usus ex Martiani de 'h' et 'x' litteris praeceptis Eyssenhardtus probavit praef. p. LII.

[2]) Haec dicendi ratio praeter locum a Gellio servatum redit in libris de l. l. V, 101; 170; IX, 64; praeterea eandem coniectura non improbabili O. Muellerus restituit IX, 54. Ceterum hanc ipsam proprietatem tolli iussit Iuergensenus (cf. ann. 4) cum corrigere vellet 'mutat' sc. contextus orationis!

[3]) Errat igitur Corssenus (II[2] p. 834), cum Varronis de hac re sententiam nos assequi posse negat. — Ceterum casu factum est, ut prorsus simile Tyrannionis praeceptum nobis servatum sit in schol. A ad Il. Ξ, 396 (cf. Lehrs. quaest. ep. p. 133; Planer de Tyr. gr. p. 22): οὔτε πυρὸς τόσσοςγε πέλει βρόμος αἰθομένοιο] Ἀρίσταρχος φυλάσσει τὴν ὀξεῖαν ἐπὶ τῆς τος συλλαβῆς, ὁ δὲ Τυραννίων τοσσόςγε ἀνέγνω τὴν σος συλλαβὴν ὀξύνων, οὐκ εὖ. ὁ γάρ γέ οὐκ ἀλλάσσει τὸν τόνον τῶν πρὸ ἑαυτοῦ λέξεων.

[4]) Attamen satis dubitanter ille p. LI Koppii errorem (p. 286 ed.) refellit, qui ad Priscianum tanquam ad fontem Martiani provocat,

hibuisse contendit Corssenus, negant et Wilmannsius et Christius, postea videbimus. Denique cum videri possit in eo valuisse Varronis doctrina[1]), quod barbarismum constanter quaternis modis fieri definiunt grammatici aut demptione aut additione aut commutatione aut transmutatione (XCIX), rectius tamen hoc Graecorum auctoritati tribuemus (cf. Nauck. lex. Vindob. p. 283).

Haec de Varrone; eorum autem qui secuntur primus de quo certius aliquid explorare possimus Q. Remmius est Palaemon, Quintiliani praeceptor. Eum inter Charisii et Diomedis auctores primario loco esse non indiget comprobationis[2]); habemus vero etiam de accentu testimonia, quae Charisius diserte ad illum refert, Diomedes eisdem verbis protulit non addito auctoris nomine. Sed etiam Quintilianum ut in aliis quaestionibus grammaticis (cf. I, 4, 20), ita in eis quae de accentibus docet, praeceptorem suum secutum esse sat probabili coniectura effici potest. Nam primum Palaemonis nomen pro exemplo ponitur (CLXXII), quod haud contemnendum auctoris indicium esse omnes concedunt; tum de flexa prosodia dicitur eam 'circumduci', quod cum praeter Quintilianum (LVIII et XCVIII[a]) non nisi apud Charisium (CII) usu veniat, Palaemoni tribuendum erit[3]). Sed tacite etiam

---

Etiam in verborum contextu restituendo non dubitavi longius progredi quam Eyssenhardtus voluit, qui cum omnia fere scriptoris immani oscitantiae vindicaret, saepe suis potius quam illius commodis inserviit. Similiter nuper iudicavit I. Iuergensenus 'de tertio Martiani Capellae libro' (Commentat. philol. scr. sem. phil. reg. Lips. sod. Lipsiae 1874 p. 57—97), qua dissertatione nonnulla optime expedivit.

[1]) De l. l. V, 1, 6: 'In consuetudine communi quot modis litterarum commutatio sit facta qui animadverterit, facilius scrutari origines patietur verborum; reperiet enim esse commutata, ut in superioribus libris ostendi, maxime propter bis quaternas causas. litterarum enim fit demptione aut additione et propter earum attractionem aut commutationem' c. q. s.

[2]) Quod Schottmuellerus de C. Plin. Sec. lib. gr. I (1858) non de grammatico celeberrimo, sed de obscuro quarti saeculi rhetore cogitavit, aptissime mihi refellisse videtur Christius in Philol. t. XVIII (1862) p. 125 sq. Cum illo facit O. Ribbeckius proleg. crit. ad Verg. p. 206.

[3]) Denique cum Priscianus Palaemonem spiritum lenem 'exilem' nominasse tradat (LII[e]), etiam Quintilianus I, 11, 4 de sonorum 'exilitate vel pinguitudine' loquitur.

impugnat praeceptorem cum in aliis (I, 6, 35) tum in eis, quae de accentu praepositionum iudicio sanissimo profert (CXLIII): nam cum Palaemonem praepositiones in ultima acuisse ex Charisio compertum habeamus (CXLI), dubium esse non potest, quin inter 'nonnullos grammaticos' qui hoc statuerint Quintilianus etiam illum perstringat.

Sed ad Palaemonem cum iterum revertendum sit, iam paucis de M. Valerio Probo Berytio dicam. Eius auctoritate niti, quae Gellius ex Anniani sermonibus rettulit, certum est (CLV; cf. Kretschmar de A. Gell. font. I (1860) p. 91 et 101). Hunc autem ab illo[1]) cuius 'catholica' et 'instituta artium' habemus — sive is ipse quoque Probi nomen habuit, sive celeberrimi grammatici nomine opera sua exornavit — prorsus diversum esse vel ex eis, quae nobis tractanda sunt, perspici potest. Nam cum Probum Berytium 'Hannibâlem', 'Hasdrubâlem', 'Hamilcârem' pronuntiasse Gellii testimonio demonstretur (CLXVIII[a]), in Probi artium institutis de nominibus in 'al' idem praecipitur, at nomina in 'ar' in casibus obliquis corripienda esse docemur, ut 'Bomílcaris' (CLXVIII[b] sq.).

Huic contrarium videtur statuendum esse de Q. Terentio Scauro; nam etiam de hoc dubitatum est, an quem habemus sub eius nomine de orthographia libellum reapse confecerit. Qua in re non videtur silentio praetereundus esse eximius consensus inter Scauri sententiam a Prisciano servatam (CIX) et locum in libro de orthogr. (LXXXVI), ubi instanter redarguitur pravum illud distinguendorum homonymorum studium[2]); id autem eo gravioris ponderis est, quod omnes fere iam ab antiquo tempore has vocum ineptas discretiones tanquam in deliciis habuerunt.

Maiora exstant apud Priscianum C. Censorini et Flavii

---

[1]) Cur non assentiar Steupio tres Probos statuenti, non huius loci est accuratius persequi.

[2]) Etiam quod alio loco Priscianus ex simili sententia disputat (XVII), probabiliter ad Scaurum referri potest. Ceterum illam de orthographia scriptionem non integram servatam esse vix est quod dicam.

Capri[1]) fragmenta (CXLIX^{a-e}; XCVI^{c} sqq.) eo insignia, quod amplissimis exemplis res illustrant. Caprum vel maxime Probi Berytii copiis usum esse exploratum est; Censorinum autem quoniam multa tradita habuisse cum ab aliis tum a Varrone constat — nam ipsos fontes eum adiisse iure suo negat Teuffelius (hist. lit. r.³ p. 888) —, Wilmannsius (l. s. s. p. 124) ex illo fortasse Priscianum putat hausisse, quae Varroniani ingenii apud eum speciem prae se ferant[2]). Et ipsius quidem Prisciani diserto testimonio hanc coniecturam stabilire possumus: dicit enim I, 16 (13, 9 H.) 'auctoritas tam Varronis quam Macri teste Censorino,' quem etiam in subsequenti paragrapho ut 'doctissimum artis grammaticae' laudat. Varronis autem in accentuum quoque doctrina certa vestigia exstare apud Priscianum loco illo de vocis altitudine, longitudine, crassitudine (II^{c}) probatur[3]), de quo recte iudicant Weilius et Benloewius (*théor. gén.* p. 3 ann.). Vix igitur dubitandum est, quin etiam haec Censorinus in libro 'de accentibus' exhibuerit. Hunc librum praeter Priscianum etiam Cassiodorius commemorat, de musica p. 576: 'Censorinus quoque de accentibus voci nostrae adnecessariis subtiliter disputavit, pertinere dicens ad musicam disciplinam, quem vobis inter ceteros transscriptum reliqui.' Iam vero cum in Sergii qui dicitur libro, de quo supra disputavi, et locus ille de voce satis memorabilis servatus sit (II^{a}) et vel maxime ratio habeatur disciplinae et musicae et rhythmicae (in qua

---

[1]) Cur et hunc et Scaurum et Palaemonem prae Censorino, Donato, Varrone Prisciani fontibus neglexerit Corssenus, non magis perspicio quam cur idem (II² p. 809), ubi de discretione per accentum agit, post Nigidium talia Censorinum exposuisse dixerit, cum Palaemonem aliosque, qui inter illos intercesserunt, non aliter iudicasse certo sciamus; denique quonam iure (II² p. 876) Prisciani de interrogativis, infinitis, relativis doctrinam ad Censorinum Varronemque referat, frustra quaeras; in his enim Apollonii Herodianique auctoritatem valuisse manifestum est.

[2]) Ipsum enim Varronem in manibus non fuisse Prisciano et Wilmannsius censuit et Christius l. s. s. p. 183, cum Corssenus eum 'studium navasse' Varroni saepius non sine pondere proferat.

[3]) Iniuria igitur Christius l. s. s. 'ne litterulam quidem' Priscianum ex Varronis de accentibus doctrina transtulisse affirmat.

parte abrupte 'explicit'), non vereor ne iusto audaciorem facere coniecturam videar, si haec quoque e Varrone excerpta ex eodem Censorini libro deprompta esse contendam. Nam etiam sat ampla exemplorum Vergilianorum copia particulae de graecis nominibus inserta ad eam rationem quadrat, quam e Censorini fragmentis a Prisciano servatis comperimus; denique cum totum tractandi genus simile sit ei, quod ex Censorini 'de die natali' libro novimus, singulare aliquod restat indicium in ea locutione, qua gravem acutamque prosodiam 'graviorem acutioremque' vocari et in Censorini de die natali libro et in his de accentu excerptis usu venit[1]). Haec igitur postea a compilatore aliquo neglegentissimo cum volgaribus illis de accentu regulis coagmentata ad nos pervenere Sergii nomine inscripto, quod nullam auctoritatem habere Keilius probe perspexit.

Sed iam pergam in recensendis ceteris grammaticis. Acroni igitur et Porphyrioni quae in scholiis Horatianis tribuuntur huc spectantia, nullius sunt momenti nec ad illos pertinent grammaticos. Sed Acronis quoddam fragmentum ab Iulio Romano servatum apud Charisium (LXXV[a]) non sine aliquo fructu adhibebimus. In commentario enim ad Terentii Eunuchum 'quaeri' dicit, quo accentu 'interea loci' pronuntietur, ut et tanquam compositum et tanquam duae partes orationis percipi appareat. Sed iam Donatus ad eandem comoediam (LXXV[b]) 'intereáloci' dici simpliciter praescribit,

---

[1]) Cf. d. die nat. 16, 24 Hultsch.: 'sed vox alias gravior mittitur, alias acutior: discrimen vero quo alter φθόγγος acutior est, alter gravior appellatur διάστημα' et XIX: 'ex gravi in acutiorem escendere'; item 'quod gravioris quam acutioris similior est', quae verba a Varronis sententiis illic prolatis abiudicanda esse, vindicanda ei, qui in hanc formam redegit, Censorino igitur, in capite quinto demonstrabo. Ac ne quis in eo offendat quod ita Priscianum mediam prosodiam, quam nusquam commemorat, e Censorini libro cognitam habuisse statuimus, illud urgendum est, eum quoad fieri potuerit Apollonium et Herodianum sequi; qui cum non agnoscerent illam doctrinam, eo libentius ipse omittere potuit, quod eam omnes fere grammatici reiecerant, quin etiam ipse Censorinus addiderat 'se magistros erroris non arguere, qui tres solas demonstrarent prosodias.'

deinde autem cum magis magisque attenuata esset tractatio, tam fixum erat hoc praeceptum, ut alterum vel inter vitia dicendi enumeraretur. Talia saepius accidisse videbimus.

Secuntur Iulius Romanus et Cominianus, quos inter Charisii Diomedisque praecipuos fontes fuisse in aperto est. Sed sat incommode accidit, quod Charisii 'de lectione' liber, quo de accentu et posituris, de discretione, de pronuntiatione, de modulatione aliisque exposuit, totus deperiit (cf. Keil. vol. I praef. p. XII); absque quo esset, multo certius fieri posset de auctoribus iudicium. Ab eodem vero quasi capite, a quo Charisium ac Diomedem, etiam Dositheum, Donatum, Victorinum, Consentium, Phocam suam doctrinam ducere manifestus eorum inter se consensus prodit[1]). Qua in re Iulii Romani auctoritatem minus valuisse quam Palaemonis et Cominiani inde veri simile est, quod ille doctiorem secutus rationem a posterioris aetatis studiis angustioribus scholarumque usui accommodatis alienus erat. Sed vel inter Palaemonem et Cominianum habeo cur primarias partes tribuam Palaemoni. Etenim cum Varronem de media prosodia copiosissime egisse et ex fragmento illo quod Censorino vindicavi, et ex aliis indiciis quae alio loco considerabimus, clare enitescat, satis mirum videri potest apud istos grammaticos nullum huius doctrinae vestigium remansisse. Iam vero Palaemonem scimus acerrimum fuisse Varronis adversarium et obtrectatorem; itaque non est cur illud miremur, si hunc potissimum sumimus eius de accentu doctrinae fundamenta iecisse, quam posteriores fere omnes exhibent. Quam late autem patuerit eius auctoritas, satis illud docet, quod vel apud Pompeium (XCI^f) 'doctus Palaemon' pro exemplo affertur.

---

[1]) Eodem pertinet melioris notae fragmentum e cod. Bob. nunc Vindob. in Endlicheri anecd. p. 142, itemque dialogus de accentibus, quem ex cod. Leid. edidit L. Muellerus in Mus. Rhen. t. XVIII (1863) p. 169—178. Horum vero omnium consensum talem esse, ut alium exscripsisse alium statui non possit, rectissime cum alii monuerunt tum Keilius in praefationibus bonae frugis plenissimis. Mire autem L. Muellerus l. s. s. p. 168 ex Caesio Basso coniecit hos hausisse grammaticos. Nam ille doctrinae metricae gravissimus auctor habendus est, de studiis eius grammaticis nihil memoriae proditur.

Iam inter Donati commentatores primum locum obtinet Servius vel Sergius, quanquam haec nomina diversissimis commentis inscripta sunt, vix ut certum repraesentent grammaticum. His etiam de accentu non pauca debemus, quae eo diligentius respicienda sunt, quod pronuntiationem 'magis aurium iudicio quam artis ratione colligi' (442, 34 K.) melius quam alii Servius perspexit. Non multum valet Cledonius[1]), omnium molestissimus est Pompeius, qui utinam 'bonam brevitatem', quam in accentuum latinorum ratione tantopere praedicat (LXV), ipse aliquo modo amplexus esset! Quanquam vel ex huius hominis inani loquacitate nonnunquam aliquid elicere possumus.

E posterioribus grammaticis unus eminet Priscianus, de cuius primariis fontibus iam vidimus; praeterea Donato usus est et Grillii 'de accentibus ad Virgilium' librum commemorat, de quo tamen plura eum desumpsisse vix crediderim; nam ex eis quae attulit Priscianus, ψιλήν ab illo 'levem', δασεῖαν 'flatilem' vocari, novis videtur et inauditis artium vocabulis proprietatis speciem gloriolamque appetiisse, cuius rei nullum ipsius Prisciani praecepta exemplum edunt. Sed ante omnes hic grammaticus cum Herodiani tum Apollonii Dyscoli doctrinam transtulit in linguam latinam (cf. Lentz. praef. Herod. p. CCXXV sq.), in qua re non mireris vel aliena invexisse eum, qui Graecorum auctoritatem in omnibus paene sequi soleret seque eos imitari 'debere' loco quodam libere profiteretur (XIIII, 47). Quod vero ad librum illum 'de accentibus' attinet, qui sub Prisciani nomine traditus est, eum Prisciani manum non exhibere recte Keilius dixit longa disputatione non egere[2]). Neque tamen cum

---

[1]) In Cledonio edendo facere non possum quin improbem Keilii consilium, qui operae pretium non esse censuit tantam impendere curam huic grammatico, ut in iustum ordinem revocaret contextum perturbatissimum; nam si omnino edendus erat Cledonius (neque debuit omitti), eius qui ederet erat quamvis molesta opera viam adituris patefacere.

[2]) Quanquam et Corssenus semper sub Prisciani nomine citat et Weilius Benloewiusque (*théor. gén.* p. 19 ann.) eum vel Martiani Capellae auctoritati praeferendum esse contendunt.

Keilio prorsus negaverim ullam hunc libellum cum Prisciano habere communionem. Ipse enim Priscianus (CXXXVII[a]) singularem 'de accentibus' librum se conscripsisse dicit. Atqui non modo ineunte Pseudo-Prisciani libro eadem Varronianae doctrinae vestigia apparent, quae ex Censorino hausta esse vidimus, verum etiam totus libellus Herodianeam affectat speciem secundum finales syllabas omnium vocabulorum accentum statuens. Haec autem ex uberiore opere excerpta et ad posterioris aetatis usum neglegenter composita esse ipsa librorum manu scriptorum condicio prodit: nam vel in hac brevitate singularum formarum enumerationem librariis taedium movisse apparet; praeterea, ut unum afferam exemplum, quod modo respicitur num '*i*' vocalis praecedat syllabam finalem, modo non respicitur, id discrimen excerptori potius quam auctori attribuas[1]).

Sed iam finem imponam huic commentationi; nam qui restant grammatici non nisi tritissima quaeque et abiectissima proferunt, ut vel maxime in interiectionibus certos non esse accentus, 'pone' autem adverbium in ultima accentum habere iterum iterumque inculcent.

CAPUT II.

De accentus latini vi ac natura.

Per accentum unumquodque verbum et simplex et compositum regi et tanquam in unum corpus coalescere ex rerum natura apparet: sed quanam id ratione efficiatur, non eodem omnes modo definiunt. Quare primum praecipuas virorum doctorum adumbrabimus sententias, dein veterum testimonia consideranda erunt: nam in hac quidem re eorum, qui audiendo noverunt linguam, placita plus habere auctoritatis quam nostratium grammaticorum ratiocinationes omnes concedent.

---

[1]) Ceterum hoc adicere liceat quod, ut Priscianus constanter 'differentiae causa' voces hoc illove accentu insigniri dicit, cum ceteri fere 'discretionis' vel 'distinctionis' vocabulis utantur, idem in hoc libello usu venit; neque tamen nimium huic rei tribuam, quia uno saltem commentariorum Vergilianorum loco (XCV[d]) eadem ratione 'differentiae causa' adhibetur.

Itaque ut olim Ritterus in grammaticae latinae elementis, ita Weilius Benloewiusque veterum in accinendis verbis rationem multum distare iudicarunt a nostra consuetudine: neque enim maiore vocis intentione eos extulisse syllabas, sed tono altiore (*une note musicale plus élevée*[1]). Oblocutus est huic sententiae Langenus (in censura Fleckeiseni annalibus inserta t. LXXIX (1859) p. 46 sq.) ex Quintiliani maxime locis demonstrans non sola modulatione effici accentum. Multo confidentius pridem Reinhardtus (de vocis intentione in l. l. Berol. 1837 p. 6) 'dis iratis' factum esse dicit, ut omnia fere quaecunque nomina ad accentum spectarent aliquo modo incertae significationis essent, utrum fortiorem vocis pronuntiationem, an musicorum quos vocant altiores et minus altos sonos denotarent: quocirca ipse prae intentionis appellatione omnia nomina removenda esse censuit. Iam vero cum Corssenus in universum Weilii Benloewiique rationem probasset, iterum exstitit Langenus (Philol. t. XXXI (1872) p. 99 sq.), qui quanquam concedendum esse putaret multo magis quam hodie cum musica communionem habuisse accentum cum latinum tum graecum, tamen in lingua latina aliquanto prius quam illi statuerent conversionem quandam accentus accidisse censuit, ita ut intentior nostraeque similior rationi fieret; idque ex linguae affectionibus potissimum concludit, sed addit etiam nonnulla veterum testimonia. Miror autem hac ratione Corssenum a Langeno impugnari; nam ipse Corssenus eandem proposuit sententiam: ubi enim antiquiorem accentum ex linguae affectionibus elicere vult, haec habet (II² p. 895): 'In der ganzen Welt der leibhaftigen und sinnenfälligen Dinge überwiegt das stärkere Wesen über das schwächere . . . . . die hohen scharfen Töne der Musik bleiben weithin hörbar,

---

[1]) Hanc sententiam constanter in eorum libro repetitam invenies nisi quod semel adiecerunt (p. 4): 'il est vrai qu'il y a un certain rapport entre l'acuité et la force des sons; un son aigu semble plus fort, qu'un son grave: parce qu'il est plus distinct, et une prononciation plus forte semble entraîner naturellement un son plus aigu' etc. Sed cur id 'videatur', non anquirunt diligentius: 'il n'est pas besoin de recourir à la physique pour le démontrer, l'oreille les distingue assez' (p. 6).

wo die matten und tiefen Töne verklingen[1]). Da nun auch der sprachliche Laut ein leibhaftiges, sinnenfälliges Wesen ist, das aus den Lungen und Sprachwerkzeugen des redenden Menschen erzeugt, auf den Schallwellen der bewegten Luft dahingetragen an das Trommelfell des Hörers schlägt und es erschüttert, so muss nach dem allgemeinen Naturgesetz auch der hohe und starke sprachliche Laut haltbarer und dauerhafter sein als der tiefe und matte'. Haec Corssenus; sane idem ubi eorum sententiam refutare studet, qui accentus cum ictu metrico similitudinem defenderunt, haec dicit (II² p. 975): 'Hochton und Vershebung haben im Wesen gar nichts gemein; jener war ein höherer Ton der Tonleiter, wie die unzweifelhaften Zeugnisse der Grammatiker und die Natur der Sache gezeigt, diese ein Nachdruck der Stimme, der starke Taktheil oder Taktschlag des Versfusses; jener der Sprache angeboren erklang im Munde jedes Römers, diese ein Erzeugniss der Dichtung war der Rede des Volkes fremd'. Tam aperte manifestoque vir tanto ingenii acumine praeditus a se ipse dissentire non potuit, nisi parum considerate et admodum vehementer has quaestiones tractasset[2]). Atque hoc affirmare licet, nunquam ad hanc opinionem de antiqui accentus natura perventuros fuisse viros doctos, nisi ita facillime quaestiones metricas, quae ad eum pertinent, expediri posse putassent[3]): quam quidem solutionem ut facillimam ita falsissimam esse equidem cum aliis persuasum habeo.

---

[1]) Mira haec est oppositio; nam in hac re non nisi vis spectatur et altiores soni, si leniter proferuntur, minus distincte audiuntur, quam graviores cum vi et intentione emissi.

[2]) Idem vero in Weilium Benloewiumque cadit, qui item ex linguae affectionibus antiquiorem accentum construunt, posteriore tempore, item ex affectionibus, valentiorem eundem intentioremque evenisse efficiunt, in metris autem nullam omnino rationem inter accentum ictumque intercedere contendunt.

[3]) Weil. et Benl. p. 4: 'nous insistons sur ce point sans lequel on ne peut expliquer le système de l'accentuation latine ni bien comprendre les principes de la versification ancienne'; cf. p. 70: 'il y avait donc dans les vers anciens . . . . . la modulation de l'accent tonique, que nous ne pouvons plus nous flatter de reproduire exactement.' Itaque

E grammaticis latinis unum attulit Langenus (l. s. s. p. 102) Diomedis testimonium (X): 'accentus est acuta vel gravis vel inflexa elatio orationis vocisve intentio vel inclinatio acuto aut inflexo sono regens verba'. Huic addidit Quintiliani verba XI, 3, 42, quae tamen latius patent (cf. XXIII). Sed idem probat cum illud, quod syllabam quae accentum habeat saepius 'plus sonare' grammatici dicunt, tum hic Servii locus (LV[a]; cf. LV[b]) quo nihil afferri potest significantius: 'accentus in ea syllaba est, quae plus sonat. quam rem deprehendimus, si fingimus nos ad aliquem longe positum clamare; invenimus enim naturali ratione illam syllabam plus sonare, quae retinet accentum atque usque eodem nisum vocis ascendere[1])'. Ex hoc igitur loco apparet, quod vix egere testimoniis putaveris, ut nos in communi sermone accentus minus efferimus, in animi affectibus autem vel in elatiore oratione et singulas voces et syllabas accentu praeditas magis intendimus, ita veteres quoque usos esse intentione et accentibus[2]).

---

ex illorum sententia non possumus intellegere versuum artem rationemque, nisi eum accentum fingimus, quem assequi non possumus; quae qualis sit intellegentia non liquet.

[1]) Cf. E. Bruecke, die physiologischen Grundlagen der neuhochdeutschen Verskunst p. 2: 'Dass der Accent auf diese Weise entstehe, davon überzeugt man sich leicht, wenn man ihn verschärft, wenn man möglichst stark zu accentuiren sucht. Man fühlt dann deutlich das plötzliche Zucken der Ausathmungsmuskeln. Beim gewöhnlichen Sprechen wird man sich dieser Contraktionen nicht mehr bewusst, während das Ohr durch sein feines Unterscheidungsvermögen für die Lautstärke den Accent noch deutlich wahrnimmt'. — Aristot. προβλ. ια' 47 (904[b] 7): διὰ τί ποτε τῶν ὀξυτέρων φωνῶν πορρώτερον ἀκούουσιν; ἢ διότι τὸ ὀξὺ ἐν φωνῇ ταχύ ἐστι, θᾶττον δὲ κινεῖται τὰ βίᾳ μᾶλλον φερόμενα, τὰ δὲ σφοδρότερον φερόμενα ἐπὶ πλέον φέρεται; cf. προβλ. ιθ' 35, 820[b] 1.

[2]) Idem significat quod Cominianus dicit (XCVIII[b]): 'sonus in pronuntiatione invenitur'; nam 'pronuntiatio' semper indicat altiorem orationis tenorem (cf. 'prononcer'), qualis cum in sollemni oratione tum in carminibus recitandis adhibetur. Cf. Aristox. harm. p. 12, 26 M.: τὴν μὲν οὖν συνεχῆ (sc. κίνησιν) λογικὴν εἶναί φαμεν· διαλεγομένων γὰρ ἡμῶν οὕτως ἡ φωνὴ κινεῖται κατὰ τόπον, ὥστε μηδαμοῦ ἵστασθαι. κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν [ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικὴν] ἐναντίως πέφυκε γίγνεσθαι. ἀλλὰ γὰρ ἵστασθαί τε δοκεῖ καὶ πάντες τὸν τοῦτο φαινόμενον ποιεῖν οὐκέτι λέγειν φασὶν ἀλλ' ᾄδειν. διόπερ ἐν τῷ διαλέγεσθαι φεύγομεν

Falso autem viri docti et προςῳδίας nomine et 'vocula-tionis' appellatione a Nigidio adhibita musicam naturam indicari contendunt (cf. Corssen. II² p. 796; Langen. l. s. s. p. 95): nam illi ne quid tribuamus, eo prohibemur, quod veteres vel spiritus asperum lenemque inter προςῳδίας rettulerunt; Nigidium vero ipsum item accentus intentionem statuisse plane demonstrat locus a Gellio servatus X, 4, 4: „'Vos' cum dicimus motu quodam oris conveniente cum ipsius verbi demonstratione utimur et labeas sensim primores emovemus ac spiritum atque animam porro versum et ad eos quibuscum sermocinamur intendimus. at contra cum dicimus 'nos' neque profuso intentoque flatu vocis neque proiectis labris pronuntiamus, sed et spiritum et labeas quasi intra nosmet ipsos coercemus. hoc idem fit in eo quod dicimus 'tu' 'ego', et 'tibi' et 'mihi' . . . . eadem ratio est in graecis quoque vocibus quam esse in nostris animadvertimus.“ Huc pertinent etiam toni tenorisque appellationes — nam recte Cledonius dicit (XLIV^b) ab intentione vocatos esse 'tenores' —, praecipue autem graeca ἐπιτεταμένης et ἀνειμένης nomina[1]).

τὸ ἱςτάναι τὴν φωνήν, ἂν μὴ διὰ πάθος ποτὲ εἰς τοιαύτην κίνηςιν ἀναγκαςθῶμεν ἐλθεῖν. Aristid. Quint. p. 7 Meib. (= Mart. Cap. VIIII p. 353, 5 Eyss.); Nicomach. Geras. enchir. harm. I p. 3: τὸ ςυνεχὲς καθ' ὃ ὁμιλοῦμέν τε ἀλλήλοις καὶ ἀναγινώςκομεν οὐδεμίαν ἔχοντες ἀνάγκην ἐμφανεῖς τὰς τῶν φθόγγων τάςεις καὶ διακεκριμένας ἀπ' ἀλλήλων ποιεῖςθαι. Complures exscripsi locos quia cum Corssenus, Weilius, Benloewius, alii, tum nuper Hadleius (cf. Curt. Stud. t. V, 2 p. 428) miram quandam vel in communi sermone apud veteres vocis cantilenam statuunt.

[1]) Haec omnia si animo comprehendo, non intellego quomodo et alii et Hadleius l. s. s. p. 411 sq. nullum testimonium, nullam appellationem in veterum de accentu doctrinam intentionis inferre notionem affirmare potuerint; nam etiam Dionysius Halic. de comp. XI dicit: οὔτε ἐπιτείνεται πέρα τῶν τριῶν τόνων καὶ ἡμιτονίου ἐπὶ τὸ ὀξύ, οὔτε ἀνίεται τοῦ χωρίου τούτου ἐπὶ τὸ βαρύ. Quin etiam erant qui prorsus idem esse sibi persuaderent intentionem altitudinemque, quos recte refutat Aristoxenus harm. 14 sq.; 24, 13 M. Cf. Mart. Cap. VIIII p. 353, 20 Eyss.; Aristot. physiogn. 807^a, 13, quem tamen aliis locis paulo aliter rem definire non ignoro, quod hic non attinet penitus pervestigare. Denique vel in cantibus apparuisse vim accentus luculentissime docent verba scholiastae in Dionysium Thracem p. 830 Bk.: καὶ οἱ μουςικοὶ ἐπὶ τῶν ςυλλαβῶν τῶν ἐχουςῶν τὰς ὀξείας ἐπὶ τὸ

Antiqui enim tantum aberat ut sibi contrarias esse acutam intentamque vocem arbitrarentur, ut potius effici intentione acutum sonum, gravem remissione ut in fidibus, ita in humana voce existimarent[1]).

Sed quoniam haec physicas quae dicuntur rationes attingunt, operae pretium esse iudicavi hoc loco subiungere, quae de eis I. Henleius, vir summae in his rebus auctoritatis mihique coniunctissimus, per litteras ad me perscripsit, quibuscum conferas quae Brueckius l. s. s. p. 2 in eandem fere sententiam disputata profert: 'Höhe und Stärke sind in der That nicht solidarisch, sondern von verschiedenen Bedingungen abhängig und daher von einander unabhängig, wie ja auch die Erfahrung lehrt, dass man hohe Töne leise und tiefe Töne laut angeben kann. Die Höhe wird bestimmt durch die Spannung der Stimmbänder, und zwar ist jeder Ton um so höher, je grösser die Spannung; in letzter Instanz entspricht die Höhe des Tons der Schwingungszahl. Die Stärke des Tons dagegen ist abhängig von der Excursion oder Breite der Schwingungen, davon ob die Hin- und Herbewegung einen grösseren oder kleineren Raum durchläuft, wobei ja die Zahl der Schwingungen die gleiche bleiben kann. Bei einer Saite z. B. bestimmen Dicke und Spannung die Schwingungszahl oder die Tonhöhe; die Tonstärke hängt davon ab, ob die Saite stark oder schwach gestrichen oder gerissen wird, ob sie mehr oder weniger weit hin- und herschwingt. Die Stärke des Anspruchs richtet sich bei der menschlichen Stimme nach der Gewalt des Luftstroms, der an den Stimm-

---

πλεῖστον ἐμβραδύνουσι τοῖς κρούσμασιν. Non numquam vero a musicis antiquis (sicut vel a nostris) neglectum esse accentum etiam Dionysius Halic. probat de comp. verb. XI, ubi notat Euripidis versus, quibus id sibi indulserat musicus.

1) Quapropter si dicunt Weilius Benloewiusque: 'l'intensité caractérise l'accent moderne, l'acuité l'accent antique' (p. 4), veteres ipsos si sequimur, adeo non 'oppositionem urgentes nimium dicunt' (Corssen. II² p. 798 ann.), ut potius contrarium dicentes ei quod voluerunt, verum dicerent: eundem fere esse accentum nostrum et antiquum; nam apud nos quoque ubi elatiore utimur dicendi genere, intentioni adiunctam esse altitudinem — ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω.

bändern vorbei zwischen denselben hindurch getrieben wird und sie in Bewegung versetzt. Den Luftstrom reguliren wir mit den Brust- und Bauchmuskeln, indem wir den Brustkasten langsam oder schnell, anhaltend oder stossweise zusammenfallen lassen oder zusammenpressen; je gewaltsamer die Luft ausgetrieben wird, um so stärker oder lauter bei gleicher Spannung der Stimmbänder ist der Ton. Nun lässt sich bei einem nicht methodisch geschulten Menschen allerdings Höhe und Stärke des Tons nicht so streng auseinander halten; denn die Luft selbst, die gegen die Stimmbänder drängt, trägt zur Vermehrung ihrer Spannung bei, und darum ist bei dilettantischen Sängern das crescendo meist mit einer Erhöhung des Tons verbunden, und das Scalasingen hat den Zweck den Sänger darin zu üben, dass er so viel an Spannung der Stimmbänder nachlasse, als die Verstärkung des Luftstroms hinzufügt, was man in der Kunstsprache Portament nennt. — So bin ich überzeugt, dass die Alten so gut, wie die modernen Menschen die unwillkührliche Betonung der werthvolleren Wörter und Sylben ebensowohl durch vermehrte Spannung der Stimmbänder, als durch Verstärkung der Ausathmung ausgedrückt haben werden'.

Itaque etiam ab hac parte refellitur quod statuerunt temporis progressu accentus vim non deminutam sed auctam esse[1]). At unum afferunt quo hanc sententiam comprobent: aucta accentus vi et intentione leviores syllabas, maxime autem verborum terminationes posteriore aetate immutatas, obrutas, abscisas esse. Atque in hac re et Weilium Benloewiumque et Corssenum sibi non constare supra iam indicavi. Quid enim? num eae quae postera aetate accidunt affectiones diversae sunt ab eis, quas ab initio linguas perpeti videmus? Mihi autem in his rebus etsi aliquid accentus vim intentionemque valere concedendum est, tamen et simplicissima et certissima longe alia ratio esse videtur: nimirum

---

[1]) Id primus quod sciam Ritterus contendit (l. s. s. p. 30), dein copiosius Weilius Benloewiusque persecuti sunt (p. 253 sqq.) adprobantibus et Corsseno et Langeno (Philol. t. XXXI p. 101); quin immo Langenus dicit in hac re iam omnes consentire.

non ex aucta accentus vi, sed inde affectiones illae linguae latinae repetendae sunt, quod magna pars syllabarum accentu destitutarum iam nihil conferre ad significationem videretur, cum propriam quam olim habuerant vim ac notionem dudum abiecissent. Nam quamvis pertinaciter usus et consuetudo ea quae antiquitus in lingua tradita sunt retineat, tamen quae a communi sensu abalienata sunt, sensim sensimque intercidunt, nisi politiore eruditione et litteris maxime studiisque efflorescentibus conserventur. Id quomodo intellegi velim, exemplo confirmare liceat ex vernacula lingua repetito, quam praecipue tali accentus vi devastatam esse existimant. 'lich' enim suffixum, quo adiectiva qualitatis insigniuntur, proprie faciem vel corpus denotare nemo ignorat; hanc notionem vel medii aevi optimo tempore valuisse in adiectivis certis exemplis demonstrari potest[1]). Itaque donec haec valuit notio, et quantitate et accentu insignis erat syllaba; sed paulatim cum non nisi formandis adiectivis inservire videretur, et quantitate imminuta et accentu destituta est; quin etiam in vocibus 'sol(i)che', 'wel(i)che', ubi ne minima quidem propriae significationis vis remanere videretur, vel penitus periit 'i' vocalis: at vero in his voculis levissimis maiorem fuisse vim accentus, ut inde maior repetenda esset formarum corruptio[2]) —, quis est qui contendat? Itaque ex imminuta significationis vi, non ex aucta accentus intentione haec explicanda sunt[3]); quin immo defendi potest,

---

[1]) Velut Waltharius dicit lyricorum princeps: 'diu stat, dâ got menneschlîchen trat,' itemque Conradus in 'aurea officina': 'sô daz der schepfaer sîn geschaft menschlîche an die werlt gebar', ubi 'menschlîche' significat 'humana facie praeditum.'

[2]) Langen. Philol. l. s. s. p. 101 ann.: 'Eben weil die betonte Silbe in der Aussprache so stark hervortritt, werden die anderen unbetonten Silben desto matter und in den Hintergrund gedrängt und sind so der Verstümmelung desto mehr ausgesetzt'. Permire dixit Brixius, ubi de his rebus agit (Plaut. Trin.² 'Einl.' p. 12 sqq.): 'wenn der Druck des Hochtons wegfällt, d. h. wenn das Wort langsam und mit Nachdruck ausgesprochen wird' (p. 14).

[3]) Simili autem ratione, quod postero tempore in versibus maxime politicis unus accentus moderatur rei metricae, non auctam illius intentionem demonstrat, sed conturbatam quantitatis rationem aequabilitatemque!

quo minus et notione et accentu — haec enim artissime cohaerent — voces valeant, eo magis eas in sermone variis immutationibus affici.

Huius autem rei initium vel in eo cernere possumus, quod ultimae syllabae, quae quidem facillime gravitatem significationis exuunt (ut vel 'finalium' nomine appellentur), apud Latinos accentum iam non recipiunt, cum in lingua et sanscrita et graeca, utpote quae aetate aliquanto priore et integriore ad stabilem quendam excultumque gradum pervenerint[1]), haud raro acutae sint. Quod nescio an solum sufficiat ad eorum opinionem evertendam, qui non nisi rhythmicum quoddam quasi principium accentui latino vindicant[2]), logicum prorsus respuunt. Scilicet rhythmica unaquaeque voculatio est, quippe cum ex elevatione et remissione consistat; vario autem modo et quantitas syllabarum et longitudo vocabulorum moderari potest accentus rationi: sed qui hanc virtutem, quam multum valere cum in aliis linguis tum in graeca latinaque nemo negare potest[3]), quasi principium ponunt — umbram, non rem consecuti sunt.

---

[1]) Langenus l. s. s. cum integriorem linguae graecae statum explicari posse negaret, nisi accentum in lingua latina valentiorem, in graeca prorsus musicum fuisse statueremus, id neglexit, quod saepe in comparandis inter se linguis non satis respicitur, quantum discriminis faciat temporum ratio.

[2]) In lingua graeca haud pauca vestigia exstare, quae logicam rationem ostendant, qua solet subtilitate et elegantia G. Curtius adumbrat in Fleckeiseni Annal. t. LXXI (1855) p. 348.

[3]) Attamen numquam 'animam vocis' veteres accentum dixissent, nisi etiam aliud in eo valuisset; quod quale sit etsi difficile est dictu vel maxime in lingua dudum emortua — nam nihil magis ad intimum tanquam sensum spiritumque linguae pertinet —, tamen consultius esse videtur continere iudicium, quam 'facere intellegendo, ut nil intellegamus.'

CAPUT III.

Accentus quid valeat in metrorum ratione.

Eis quae adhuc disputavi satis demonstrasse mihi videor illam stare non posse sententiam, quam post Ritterum cum alii tum Weilius Benloewiusque itemque Corssenus amplexi sunt, 'mensuram rhythmicam longe diversam esse ab ea, quam praescribit accentus sive harmonia' (Ritter. p. 66[1]). Sed illa opinio praeter cetera diserto Quintiliani testimonio confutatur: 'evenire, ut metri quoque condicio mutet accentum.' Sed de hoc loco postea accuratius videbimus; iam enim ad prorsus diversam[2]) de hac re Luciani Muelleri sententiam transeundum est, qui tam nova profert et inaudita, ut ipsius verba adhibeam necesse sit (de re metr. p. 205 sq.): 'sicuti optimo tempore apud poetas Graecos et Romanos nulla fuit potestas accentus grammatici ad producendas syllabas breves, ita minime ratio habita eiusdem in pangendis versibus. quare ne tum quidem, cum vividum sensum nativae latini sermonis proprietatis elanguisse supra declaravi et cum simul haud dubie sono vulgari pleraque quantitatum sunt immutata, grammatico accentui et pedestri pronuntiationi accommodavere poetae carmina, sed imitationem veterum auctorum et aequalium sibi grammaticorum tenentes praecepta non alia quam poetae vel optimi ratione composuere proprios numeros. quod cum ita sit, nihil equidem obstat, quin versus aut totus aut maxima ex parte sit rythmicus neque quisquam vituperavit sive hunc Vergilii: 'praecipitat suadentque cadentia sidera somnos' seu Lucretii et Horatii tales: 'quorum si quis vix vitarat funera leti', 'dignum mente domoque legentis honesta Neronis'. et quamquam certis caesurae modulis

---

[1]) Ritterus quidem, cum ita appellat accentum, sibi constat saltem in falsa opinione, cum alii musicum quem volunt accentum interdum 'rhythmicum' dicentes omnia confundant.

[2]) Quanquam Corssenus II[2] p. 952 Muelleri auctoritatem ita commemorat, ut eius rationem ab ea, quam ipse proposuit, prorsus alienam esse non appareat.

prohibitum fuit, ne facile evenirent similes illorum hexametri, tamen in versibus incisione orbis numquam fuit cautum, ut pedestris pronuntiatio cum poetica ne concineret. verum enim vero, cum primum unicumque sit munus poeticum, ut nos quotidianae vitae miseriis et curis vulgaribus exemptos in puriorem ut ita dicam nec terrenae quidquam faecis habentem aethera collocet, poetae veteres studiosissimos formae carminum et metricae artis cum haberent populares, studiosissimi ipsi rerum talium, vix aliud potuerunt habere maiore cura quam ut rythmicum vocabulorum, quibus constarent versus, accentum redderent quam diversissimum a grammatico.' Haec Muellerus, rectissime quod ad quantitatis rationem attinet, quod ad accentum satis mire; nam ut mittam eum naturalem verborum tenorem constantissime 'grammaticum' appellare — id quod a brevitatis studio quodam modo excusari potest —, quod profert iudicium cum per se absonum est, tum aperte repugnat ipsorum veterum sententiae. Ac primum quidem quid cum 'terrena faece' commune habeat 'anima vocis'[1]), praeter Muellerum haud facile quis perspiciet; tum vero — ut hoc loco non nisi ea afferam, quae maxime in promptu sunt — si vera esset haec opinio, qua ratione Cicero dicere potuit (de or. III, 177) non esse alia sermonis, alia contentionis verba, neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scaenam pompamque sumi? vel Ennium laudare (or. XI, 36), quod non discederet a communi more verborum? et talia permulta.

Iam etsi recte monet Muellerus (p. 176) cum cura videndum esse, ne eius magis sermonis quo patrio utimur quam graeci latinive proprietate imbuti ad rem quaerendam accedamus[2]), tamen accentus adeo cum intima verborum natura

---

[1]) Ritschelius Opusc. t. II praef. p. XI: 'Der Accent, dieser mächtige und idealste Factor der plautinischen Verskunst, wo er ist wie 'der Geist, der über den Wassern schwebt.'

[2]) Weil. et Benl. p. 78: 'des savants anglais ou allemands devaient être tout disposés à retrouver dans des vers latins d'une cadence effacée et peu sensible celle à laquelle leur oreille était habituée.' Tale quid quo iure dicant de eis viris, qui penitus in linguae latinae indolem proprietatemque penetraverint eamque prae ceteris et cognoverint et aliis patefecerint, vix mente concipies.

cohaeret, ut non possis in animum inducere consulto eum ab antiquis neglectum esse. Qui vero non nisi secundariam partem ei tribuunt in linguis et graeca et latina, eis omnia veterum de eo testimonia refragantur: nam cum 'animam vocis' eum esse praedicarent, permirum esset in versibus Pythagoream quandam accidere metempsychosin[1]).

Sed omnino si hac ratione poetica pronuntiatio a communis linguae tenore abhorreret, summopere mirandum esset, quod nullum apud veteres de tali dissensione testimonium invenitur[2]); attamen nonnullae apud eos disceptantur quaestiones, in quibus talem siquidem revera exsisteret discordiam prorsus non poterant omittere. Velut sollemnis est apud omnes rhetoricos illa quaestio, quomodo differat poeticus rhythmus ab orationis numerosa compositione, itemque non solum de singulis pedibus totisque versibus in orationibus obviis locuntur, verum etiam de poetarum versibus orationis solutae simillimis, in quibus numerus et versus intellegi vix posset[3]). Grammatici vero cum diligentissime barbarismis opponant metaplasmos, ut illos hominum indoctorum imperitiae tribuant, hos poetis qui consulto exquisitiorem rationem praeferant, nusquam de accentuum metaplasmis verba faciunt. Immo Consentius, qui accuratissime de his rebus agit bonisque copiis usus est, per accentus metaplasmum fieri negat (XCIX^e); Augustinus autem ad evitandum barbarismum in

---

1) Tum recte huc transferri posset, quod in aliam rem eleganter dixit G. Curtius (in Kuhn. Diar. t. IX p. 328): 'so würde der Accent zu einem wahren Zugvogel, der überall dahin flöge, wo man ihn brauchen kann.'

2) E contrario Weilius Benloewiusque (p. 77) obiciunt, nihil veteres ipsos tradere de ictus cum accentu communione; quod quo iure dixerint, mox apparebit.

3) Cic. or. 66 sqq.; 168 sqq.; 198 sqq.; de or. III, 173 sqq.; Quintil. IX, 4, 52 sqq.; Terent. Maur. v. 1090 sq.; al. — Cic. or. 183 sqq.; Mart. Cap. V p. 170, 22 Eyss.; Diom. a. gr. II p. 468—471 K.; Prob. cath. p. 40—43 K.; al. Talia etiam Corssenus affert II^2 p. 977, neque tamen animadvertit ita stare non posse quae dicit p. 975: id quod constitueret rhythmum a poetis demum in linguam illatum esse. Nihil poeta infert in linguam, sed quae praebet elementa disciplina et humanitate excolit, perpolit, adauget.

verborum quantitate et accentu poetarum lectionem maxime necessariam esse contendit (XCIX[i]): ac siquis Augustino non multum auctoritatis in hac re concedat, feliciter accidit ut non mediocrem grammaticum eius sententiae succurrere videamus — Probum Berytium. Hunc enim accentum vocum quarundam, de quibus ipsi veteres dubitabant, ita definiisse audimus (CLV, CLXVIII[a]), ut ex poetarum cum aliorum tum comicorum usu antiquam pronuntiationem eliceret[1]). Quid autem? nonne huc spectat tota illa ratio, qua constantissime ad probandum vocabulorum accentum exempla afferunt ex poetarum usu repetita[2])? Acrius in his rebus insisterem, nisi graviora restarent.

Exordium igitur ab eo Quintiliani loco petam, quo uno L. Muellerus suam stabiliri sententiam putat, mihi cum contrarium eo evinci videatur. Sic enim ille de re metr. p. 206: ʻne de hoc quidem anquisiverunt, quam recte Bentleius existimarit Romanos recitandis versibus grammaticum expressisse accentum non solum sicut pueri solent nunc in schola rythmicum, quae opinio tantum abest ut sit certa, ut potius confutetur apertissime testimonio Quintiliani asserentis (I, 5, 28) in Vergiliano illo ʻpecudes pictaeque volucres' mutato ob metri condicionem accentu paenultima acuta legendum esse ʻvolúcres'.' Haec cum diceret Muellerus utinam in eo saltem secutus esset Bentleium, ut locum quem citavit exscriberet: statim enim quam vana uteretur ratione apparuisset; nam ita loquitur Quintilianus: ʻevenit, ut metri

---

1) Quin etiam falsos accentus ex hac ratione constituit; nam cum apud Terentium Phorm. I, 2, 38 legeret:

In quo haec discebat ludo exadversum loco
Tonstrina erat quaedam,

ut in aliis compositis ʻad' praepositio acueretur, ita ʻexádversum' vel contra rationem latinam intendendum esse docuit. Quod quamvis falsum sit (cf. Bentleius ad h. l.) — nam raptim tales observationes nec omnibus momentis pensitatis antiqui facere solebant —, tamen aptissime demonstrare potest, quam alieni fuerint veteres ab opinione cum eorum, qui nullam fingunt cum ictu similitudinem habere accentum, tum illorum, qui eum consulto neglegi in carminibus sibi persuadent.

2) Qui vero ideo, quod illi subtiliores quasdam leges metricas non perspectas habuerunt, etiam in pronuntiatione optimorum grammaticorum iudicium impune contemni posse opinantur, longissime a vero aberrant.

quoque condicio mutet accentum 'pecudes pictaeque volucres': nam 'volúcres' media acuta legam, quia etsi natura brevis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus herous.' Primum igitur 'evenire' talia dicit scriptor, quae Muellerus constanter usurpata, immo affectata esse opinatur; dein vero illud attendendum est, quod 'legam' dicit, ex qua voce si alios aliter legisse efficias, haud falleris. Velut Servius dicit ad Aen. I, 384 'Ipse ignotus, egens Libyae deserta peragro] 'péragro', 'per' habet accentum; nam 'a' longa quidem est, sed non solida positione; muta enim et liquida quotiens ponuntur metrum iuvant, non accentum'[1]). Talem autem dissensum iam Quintiliani aetate exstitisse, id ipsum probat, quod 'legam' dicit, non 'legitur' vel 'legendum est.' Iam vero si vel in hexametri exitu[2]) erant, qui accentum volgarem spreta normae metricae severitate servarent, nonne vel magis, ubi minore aut potius nullo numerorum detrimento ei aliquid dare potuerunt, accurate eum expressisse putandi erunt? Cum Servio autem etiam Diomedes, Donatus ceterique faciunt (LXXI[a]—LXXII[b]), cum unus Pseudo-Priscianus dicat, si longam ex muta et liquida in versu esse

---

[1]) Cf. Sergius LXXX[b]: 'cum dicere debeamus 'látebras', legendo versum q u i s d i c a t 'impulerat ferro Argolicas foedare latébras' a c u t e p r o d u c e n s?' Servii autem in hac re vel propterea non despicienda est auctoritas, quod eum diligentius usum respexisse cum alia docent, tum quae ad Aen. XI, 468 habet: 'maniplis' ars quidem exigebat, ut 'ma' haberet accentum . . . . . tamen in hoc sermone, ut secunda a fine habeat accentum, usus obtinuit' (LXXI[g]). Quod vero Ritterus (p. 43) sic aut sibi ipsum contradicere Servium aut duorum scholiorum unum tantum ad eum referendum esse censet, non minus pravum prodit iudicium quam cetera quae protulit tantum non omnia.

[2]) In vernaculae linguae carminibus multo plus valere accentum quam in antiquorum poetarum versibus inter omnes constat; sed vel nobis accidere potest, ut quid sequendum sit dubii haereamus; velut in his Rueckerti nostratis trochaeis:

Lass zuerst, o Liebe, mich
Dein Geheimniss still anbeten!

alii secundum volgarem rationem 'ánbeten' pronuntiabunt, alii numeris aliquid dandum esse putabunt; at si in iambici versus initio eadem vox exstaret: 'Anbeten dein Geheimniss still', nemo dubitaret vel invita versus norma 'ánbeten' proferre.

constet paenultimam, in oratione quoque accentum mutari[1]). Haudquaquam igitur abscondita res est, qua neglecta Muellerus gravissimos de tota poesi latina statuit errores. Sed accedunt alia.

Sat menorabile exstat Ciceronis dictum or. 173: 'in versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior. nec vero multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet aut cur aut in quo offendat intellegit. et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis sicut acutarum graviumque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.' (Cf. de or. III, 195 sq.). Cum Ciceronis verbis aliqua ratione illud coniungi potest, quod Quintilianus I, 11, 1; 4 pronuntiandi scientiam futuro oratori optime a comoedo tradi dicit 'ut expressa sint verba.' At multo plus ponderis habet, quod in scholis operam datam esse, ut in carminibus accentus bene exprimerentur, ex Ausonio comperimus 'protrept. ad nep. Aus. de stud. puer.' p. 159 ed. Bip.:

Perlege quodcunque est memorabile, prima monebo,
Perlege quodcunque est memorabile, ut tibi prosit
Conditor Iliados, et amabilis orsa Menandri
Evolvenda tibi, flexuque[2]) et acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer
Affectusque impone legens, distinctio sensum
Auget e. q. s.

Idem Ausonius (CLXX) in hexametris Pontii Paulini laudibus effert ita eum barbara nomina iuxta naturam romanorum accentuum enuntiasse, ut tamen veris et primigenis

[1]) Non taeduit plures de hac re adscripsisse locos, quia vel inde refelli potest eorum opinio, qui putant impugnari posse Ritschelii sententiam (Opusc II p. 586 al.), in comicorum metris nusquam mutam cum liquida facere positionem. Quid enim? nisi graecae demum prosodiae exemplo et auctoritate hoc illatum esset in versuum latinorum rationem, cur tandem accentus, qui semper paenultimam positione longam tenuit, non iam diu migrarat?

[2]) Cf. L. Muellerum in Mus. Rhen. t. XXIII (1868) p. 22. — Ceterum eodem pertinent, quae p. 17 ann. 2 de Cominiani verbis 'sonus in pronuntiatione invenitur' exposui. Huic similia testimonia omitto.

vocibus sua fastigia non perirent. Simili ratione Consentius in praeceptis ʻde scandendis versibus' arti de barbarismo et metaplasmo adnexis dicit (398, 24 K.): ʻsine excusatione consistit versus huius modi ʻconditus in nubem medioque refulserit orbe' et ʻtu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix'; hi et alii tales non auctoritate aliqua praerogativa artis aut consuetudinis defenduntur; nihil additum nihil detractum, nihil mutatum habent, sed iuxta communis linguae enuntiationem integri nati sunt neque ulla ex parte aliquid dubitationis admittunt.' Hoc dicere non potuit Consentius, nisi cum Bentleio (Sched. d. m. Ter. p. XIX ed. Lips.[1]) ʻconditus in núbem' et ʻtu quoque litóribus' pronuntiaret, non ʻnubém' ac ʻlítoribús'. Sic etiam Pompeius dicit (XCI[f]) ultimam nunquam habere accentum ʻaut in versu aut in prosa,' cui egregie succurrit Quintiliani[2]) locus (LVIII): ʻultima syllaba nec acuta umquam excitatur nec flexa circumducitur, sed in gravem vel duas graves cadit semper; itaque tanto est sermo graecus latino iucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent.' Quid ergo? si licuit poetis ipsas voces latinas arbitratu suo intendere, cur tandem ad graeca nomina confugerunt?

His adiungam Terentiani Mauri versus, qui ipsi item ad eam quam tractamus quaestionem facere videntur v. 380:

Graeciae dicunt magistri quod duae iunctae simul
Syllabam sonant in unam vique gemina praeditae
Semper effectum duorum temporum custodiunt,
Sive producto efferantur sive correpto sono.

---

[1]) Simile est Bentleii praeceptum (Sched. p. XIV, ad Andr. I, 1, 25), in senariorum initio saepe liberiore modo ictum a secunda in primam retrahi syllabam, nisi quod paulo artioribus finibus hoc non nisi ad senarios a dactylo incipientes rettulit; quare rectius Ritschelius (Proleg. p. CCLXI) ita rem definivit, ut ubi vox exordiretur naturali necessitate quadam pronuntiandi non elevari sed extolli verba diceret, etiamsi ictus numerorum non accederet.

[2]) Non nihili faciendum est hoc ipso loco, quo cum Quintiliano concinit, Pompeium ʻdoctum Palaemonem' commemorare, cum Quintilianus ʻcircumducendi' voce utatur: ut Palaemonem similem sententiam proposuisse apte hinc colligi possit; cf. cap. I p. 8; 12.

Fronte quod prima videri forsitan mirum potest
Esse correptam duorum temporum quod dixerim.
Sed pedum exsequendo formam res erit probabilis;
Non minus namque et latinas saepe correpto sono
Promimus, quamquam duabus editas vocalibus
Quae pedibus aeque ministrant bina et ipsae tempora.
v. 467: AV et EV, quas sic habemus cum Grais communiter,
Corripi plerumque possunt temporum salvo modo,
Sive graecis seu latinis inserantur versibus.
'Aut age' inquit ille vates, saepe dixit 'aut ubi',
Dixit 'Aurunci' quod aeque barbarum est producere,
Pes utique lege constat prima cum correpta sit
Consonans et una plenum non queat tempus dare.
Et 'lupi ceu' dixit idem, finis est versus quidem,
Pes tamen non est trochaeus, quia diphthongus extima est;
Dactylus nam pes et ille est 'nube nati ceu duo;'
Αὐέρυσαν inquit poeta sic et αὐτάρ corripit,
[Εὔπολιν, πεύκην et εὔνουν aut poetam Εὐριπίδην:]
Syllabas primas necesse est ore raptim promere,
Tempus ad duplum manebit, nihil obest correptio;
AV tamen capere videtur saepe productum sonum
Auspicis cum dico et aurum sive Graecus αὔριον.

Hos versus non possum aliter intellegere nisi tali ratione, ut Terentianus doceat in 'aut áge', 'aut úbi', 'Aurúnci', 'ceu dúo', ut in graecis αὐέρυσαν αὐτάρ, 'au' et 'eu' longam quidem syllabam in versu praestare, neque tamen vocem in eis intendi; at in 'aúspicis' et 'aúrum' sicut in αὔριον et longam esse et accentu praeditam 'au'[1]). Quae interpretatio confirmatur Marii Victorini dicendi genere, qui et correptum productumque accentum (XXXII[a]) distinguit et 'corripi

[1]) Huic interpretationi unus obstare videtur versus 478:
Εὔπολιν, πεύκην et εὔνουν aut poetam Εὐριπίδην.
Sed hic non dubito quin recte uncis a me inclusus sit: nam 'poeta' qui αὐέρυσαν et αὐτάρ dixit, Homerus scilicet, qui dici potest etiam Εὔπολιν, Εὐριπίδην etc. dixisse? Neque tamen aliter haec verba percipi possunt. Itaque aut addita esse ab eo, qui EV diphthongi graeca exempla requireret, aut adscripta amplificationis causa integrum versum expulisse censenda sunt. Quod quoquo modo sese habet, hoc loco verba nec stare possunt nec respicienda sunt in explicanda scriptoris sententia.

aut acui' voces dicit[1]). Eodem spectant haec Sergii verba (XXV): 'his ita se habentibus sciendum est, quod acutus et gravis et circumflexus soli sunt, qui ut superius diximus naturalem in voce nostra elationis servent tenorem: nam ipsi arsin thesinque moderantur'. Cf. VIII[2]).

Sed has rationes metricas amplius explanare neque huc pertinet, cum mihi de veterum grammaticorum praeceptis disserendum sit, et post tot virorum eruditissimorum curas non decet nisi eum, qui diuturna ac perenni lectione poetarum opera pertractaverit ac penitus animo perceperit. Sed facere non possum, quin hoc loco subiciam quae Ritschelius monuit, cum eorum opinionem exagitaret, qui rhythmicam accentus vim in versibus non agnoscerent (Opusc. t. II praef. p. XII): 'Ohne ihre Schuld stumpfen Sinnes für die rhythmischen Motive, welche gleich einem pulsirenden Geäder oder einem vibrirenden Nervengeflecht den metrischen Körper belebend durchdringen, negiren sie eben schlechthin alles, was nicht greifbar, messbar, zählbar ist, wenig eingedenk des Horazischen 'digitis callemus et aure', dagegen eine vortreffliche Illustration darbietend zu dem 'pedes digitis numerare', von dem G. Hermann in der Vorrede zu den Elementa doctrinae metricae (p. XIII) eine so anschauliche

---

[1]) Mar. Vict. 31, 17 K.: 'primae potestatis quinque vocales existunt a e i o u, quae gemina virtute temporum praeditae dum corripiuntur aut acuuntur, longas et breves syllabas metris praestant.' Cf. 38, 32 K.: 'si quidem artis poeticae in eo vim rationemque subsistere manifestum sit, ut verba seu nomina metro repugnantia vel corripiat vel acuat, interdum minuat, ut 'apparent rari nantes'. Denique Martianus Capella in libro IX dicit p. 354, 3 Eyss.: 'productio autem est — hoc est ἐπίτασις — vocis commotio a loco graviore in acutum locum'.

[2]) Iam vero cum satis amplam testimoniorum copiam de hac re ex schedis meis congesserim (quibus ex uberiore lectione quin alia addi possint vix dubito), manifestum est, quanta levitate Weilius et Benloewius (p. 77) non sine irrisione quadam iecerint: 'Cependant les anciens eux mêmes ne semblent s'être jamais douté du rôle, que l'accent tonique jouait dans les vers de leurs vieux poètes. On a beau lire leurs métriciens, leurs grammairiens, tous leurs auteurs enfin, on n'en trouve pas le moindre indice. Qu'est ce que put accréditer une théorie aussi peu autorisée?'

Schilderung gegeben. Aber was ist ihnen ein Hermann! was ein Bentley! die uns anderen erst den Blick geöffnet haben in die Geheimnisse der 'harmonischen Disharmonie' von Vers- und Wortaccent, auf welcher der Reiz der antiken, in besonders eigenthümlicher Mischung aber der römischen Verskunst zu einem so wesentlichen Theile beruht. Denn es ist ja hier nur eine verschiedene Stellung der beiden Elemente (Consonanz und Dissonanz), wenn der daktylische Hexameter[1]) vom Widerspiel zwischen Vers- und Wortaccent in der ersten Vershälfte übergeht zur Lösung des Zwiespaltes in der zweiten, und wenn anderseits der dramatische Vers das Widerspiel am Anfang und Ende, dort gestattete, hier mit Wohlgefallen suchte, die Verschmelzung dagegen mit so merkwürdiger Consequenz des rhythmischen Gefühls in die Mitte des Verses, zu beiden Seiten der Cäsur, verlegte[2]).'

---

[1]) Verbo moneo etiam in Saturniis posteriorem versus partem maiorem fere concentum praebere, quam priorem.

[2]) Weilius Benloewiusque hanc confirmant potius quam conturbant legem, cum duobus quae iam Bentleius composuit exemplis contrariis tertium (!) addunt (p. 8): 'On conçoit que cela arrive rarement pour le troisième pied de l'iambe, parce que la règle de la césure s'y oppose. Et cependant il s'en trouve des exemples:

Scelesta ovem lupo commisti: dispudet.
Persuadet nox, amor, vinum, adolescentia.
Procax, rapax, trahax, trecentis versibus.'

Horum exemplorum primum ex oppositione, alterum tertiumque ex abrupta enumeratione excusationem habent. Neque illud neglegendum est, accentus cum in medio versu discrepent, in fine aptissime concinere. Quamquam vel in hac re discrepantiam deprehendunt, cum 'díspudét', 'adolescéntiá', 'vérsibús' profertur: cf. Corssen. II² p. 963, Weil. et Benl. p. 84, quos dudum refellit Ritschelius Proleg. p. CCXVI ann.: 'quasi non singulae voces unum habeant principalem accentum, e quo ceteri secundarii pendeant quoque in versibus servato satisfiat consuetudini linguae.'

CAPUT IV.

De accentu circumflexo.

Iam ut missis his de accentus vi ac natura disputationibus ad singula me convertam, statim ab initio quaestio gravissima incidit de circumflexo qui dicitur accentu. Namque cum omnes grammatici latini eodem modo circumflexum in lingua latina definirent quo graeci, Langenus exstitit, qui hoc importune de peregrinae linguae tractatione translatum esse contenderet; at contra et Corssenus veritatem huius doctrinae acerrime defendere studuit et alii vel oblocuti sunt Langeno vel securi tradita praecepta retinuerunt, publice autem assentientem unum quod sciam Christium ille nactus est Philol. t. XVIII (1862) p. 181 sq.

Principio Langenus ex rationibus grammaticis potissimum evincere studuit circumflexum stare non posse, deinde etiam auctoritatem, qua niteretur ea doctrina, evellere adgressus est[1]); qui cum Varroni praecipue iniuria eam imponi dixisset, Christius Ciceronis adiecit testimonium, qui (or. 58) non nisi acutam gravemque vocem commemoraret. Sed Langenus ubi retractavit quaestionem Philol. t. XXXI (1871) p. 117 sqq., Ciceronis silentio non ita multum tribuendum esse iudicavit; verum iam non modo Varronem, sed etiam Quintilianum non agnoscere flexam prosodiam efficere conatus est. De quo mihi contrarium videtur: multum enim tribuo Ciceronis testimonio; operam, qua Varronis et Quintiliani auctoritatem removere periclitatur, prorsus perditam esse censeo.

Atque Ciceronis sententiam duabus de rationibus magni momenti esse duco. Primum enim non improbabile visum est Ciceronem loco illo ita de accentu disseruisse, ut Graecorum de eo praecepta non respiceret (vid. p. 4); ad hoc autem argumentum, quod extrinsecus petitum est, accedit aliud quod in ipsis Ciceronis verbis nititur; comparat enim illic universam vocis naturam cum singulorum verborum

---

1) 'De gramm. lat. praec. quae ad acc. spect.' diss. inaug. Bonn. 1857 p. 5 sqq.; Fleckeis. Ann. t. LXXIX (1859) p. 41 sq.

tenore, itaque cum dixisset 'mira est enim quaedam natura vocis, cuius quidem e tribus omnino sonis, inflexo acuto gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus' (or. 57), haec subiecit: 'in quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendae suavitatis in vocibus: ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem: in omni verbo posuit acutam vocem nec una plus nec a postrema syllaba ultra tertiam, quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria.' Iam quaeso flexum illum nescio quem sonum si revera Cicero cognovisset, nonne procul dubio ad explendam comparationem hoc loco commemoraturus erat[1])?

Iam Varronis auctoritatem inde interpolatam esse, quod interpretes Sergiano illo qui dicitur libello abuterentur, identidem monuit Langenus[2]). Imprimis de his verbis agitur (XIX): 'ceterum Varro in utramque partem moveri arbitratur neque hic facile fieri sine media eamque acutam plerumque potius esse quam gravem, quod ea propior utramque est, quam illa superior et inferior inter se.' Hunc locum aperte corruptum esse contendens Langenus (Fleckeis. Ann. l. s. s. p. 49) fortasse lacunam statuendam esse censuit post 'ceterum.' Sed videamus quae praecedunt: 'Eratosthenes ex parte priore in gravem posteriorem, Theodorus autem aliquando etiam ex gravi in acutiorem escendere; ceterum Varro in utramque partem moveri arbitratur' e. q. s. Haec tam bene cohaerent, ut non assequar, quid interponi possit, nisi quod, quae per 'que' adiunguntur ('eamque acutam plerumque' e. q. s.), non dubium est quin ex neglegenti excerptoris ratione de alia genuinae disputationis parte incondite huc illata sint; at Varronem et

---

[1]) Accedit quod Cicero satis constanter etiam aliis locis non nisi acutam gravemque vocem usurpat: cf. or. 173; epist. ad Att. XII, 6, 2; de or. III, 216.

[2]) Fleckeis. Ann. l. s. s. p. 48; Philol. l. s. s. p. 117; cf. etiam Christius l. s. s. p. 182. Nihil valere quod post Tyrannionis mentionem quattuor statuentis prosodias pergatur 'in eadem opinione et Varro fuit' (XIX), quoniam media tantum respiciatur in sequentibus, id eo libentius concedo, quod ex ea quam adhibui loco corrupto emendatione ne dubitari quidem potest de hac interpretatione.

circumflexum et anticircumflexum qui dicuntur in doctrinam suam recepisse ex prioribus certissime apparet. In novissima autem commentatione Langenus hunc locum ne verbo quidem attigit: non videri veri simile dixit Philol. l. s. s. p. 118, Varronem ea qua Servius tradit ratione de circumflexo verba fecisse, immo nullo modo hoc statui posse, quia proxima Quintiliani auctoritas[1]) graecam hanc prosodiam nondum imputatam fuisse linguae latinae ostenderet. Hoc satis ampla disceptatione demonstrare studuit, de qua nostrum brevissimum esse potest iudicium: nam quae in medio collocat verba ('quiin eadem flexa et acuta') neque in hanc neque in illam partem quidquam decernunt (cf. LVII adn.), quoniam e dittographia orta et ex verborum contextu removenda sunt[2]); quod vero ex circumflexi commemoratione non effici dicit Langenus, ut ad Graecorum usum eum adstrinxerit Quintilianus, plane neglexit verba 'media longa aut acuta aut flexa erit', quae si ita explicare vellet, ut 'flexa' ad natura longas syllabas, 'acuta' ad longas positione referret, torqueret potius quam interpretaretur sententiam.

Quae cum ita sint, nullis artificiis seu Quintiliani seu Varronis auctoritatem ab hac doctrina divelli posse puto. Neque tamen cum Langeno dixerim iam nobis desperandum

---

[1]) De Quintiliano igitur pedetentim conversa est Langeni sententia; nam antea (diss. inaug. p. 7) paucis verbis ex eius auctoritate prae ceteris rationibus nihil decerni posse dixit; deinde demonstrare studuit vel illum Graecorum imitationi nimium indulsisse (Fleckeis. Ann. l. s. s.).

[2]) Idem nuper de hoc loco I. D. D. Claussenus demonstravit in uberrimis 'quaestionibus Quintilianeis' (Fleckeis. Ann. Suppl. t. VI, 2 (1873) p. 325), ubi etiam de Palaemone Quintiliani auctore similia eis composuit, quae supra explanavi; quare me in easdem sententias pervenisse, priusquam eius disputationes in lucem emissae essent, ideo moneo, ne quis me eius opibus usum esse putet. Ceterum quod Claussenus ex Quintiliani verbis I, 5, 27 ('cum dico 'circum litora' . . . . tanquam in una voce una est acuta, quod idem accidit in illo 'Troiae qui primus ab oris') conclusit ob ultimam longam 'aboris' voci Quintilianum acutum tribuere, non circumflexum, id suo iure Langenus Philol. t. XXXIII (1874) p. 74 argutius excogitatum esse dixit, cum in hac re non nisi praepositionis cum substantivo coniunctio per accentum expressa respiceretur.

esse[1]); quod eo minus concedere in animo est, quia vel in graeca lingua non nisi grammaticorum inventum esse fractum illum refractumque sonum haud improbabiliter me demonstraturum esse spero. Sed priusquam huc accedam, ceteras recensebo rationes, e quibus talis in lingua latina accentus statui non posse videatur.

Gravissimo igitur argumento Langenus praecepta illa contra indolem linguae latinae esse contendit, tum quia aperte a sonis compositis abhorreat et eos magis magisque repellat, tum quia, absque hac sit doctrina, nusquam inveniamus finalem syllabam ad accentum immutandum aliquam potestatem habere[2]).

Iam re vera nihil nisi syllabam longam acuto accentu elatam circumflexo comprehendi vel inde perspici posse existimat (diss. inaug. p. 6; Philol. l. s. s. p. 119), quod Cledonius (LXXI^m) 'insula' dicat non tam positione longam habere 'i', quam natura, ut prima vocalis circumflexum accipiat; sed cum idem Cledonius 'ponĕ' in ultima circumflecti (LXXXIX^m), nec non 'ut', si sit 'quemadmodum', eodem accentu efferendum esse proponat (CLXII^c), eius in talibus rebus vim omnino nullam esse nemo infitias ibit[3]). Quoniam autem iam optimo

---

[1]) Philol. l. s. s. p. 117: 'Es stände freilich schlimm um unsere Sache, wenn wir den Kampf gegen die Aussprüche der genannten römischen Gelehrten führen müssten'.

[2]) Hoc quod ita Corssenus discutere studet II² p. 802 ann., ut encliticas saepius producere accentum afferat, et minus apte ad legem provocat, quae quoad vera sit ipsa addubitatur (cf. p. 61 sq.), et neglegit singularem vocularum quarundam attractionem non conferri posse cum affectionibus in uno eodemque vocabulo apparentibus. Ceterum idem iam Boppius protulit ('Vergl. Accentuationssyst.' Berol. 1854 p. 100): 'Wenn im Lateinischen die enclitischen Partikeln que ve ne und ce den Ton in ihre Nähe ziehn, so wirkt hier das Gewicht der angehängten Partikel gerade ebenso, wie im Griechischen eine lange Endsylbe.'

[3]) Non plus valet, quod Langenus (diss. inaug. p. 7) doctorum hominum inventum esse circumflexum ex Ausonii verbis probare studet (cf. p. 28) 'flexuque et acumine vocis Innumeros numeros doctis accentibus effer': nam si omnino ex voce 'doctis' tale quid concludendum esset, cur ad flexum potius quam ad acumen vocis pertineret? Verum nihil hoc loco significat nisi 'elegantibus', 'scite positis'; cf. Cassiodorius (XVII): 'accentus est vitio carens vocis artificiosa pronuntiatio'.

tempore hanc doctrinam propositam esse vidimus, etiam illud reiciendum est, quod ad finalium syllabarum corruptionem Langenus descendit (diss. inaug. p. 6)[1]); Christii vero errorem, qui in Charisii verbis (XXXIV) 'in accentu longo duo homines dici' accentus quantitatisque confusionem deprehendi putavit, in adnotatione ad hunc locum refutavi. Paulo commodius Diomedis locus citari poterat (CXL): 'circumflexus ponitur in ea particula quae est apud Vergilium 'ergô'. 'con' quoque praepositio complexa 'f' vel 's' subiunctas litteras producto 'o' pronuntiabitur'[2]) e. q. s. Denique rectissime Langenus eam adhibuit definitionem, quae apud Pompeium[3]) est (XXVI^b): 'acutus dicitur accentus, quotiens cursim syllabam proferimus . . . circumflexus dicitur, quando tractim syllabam proferimus'; quod vero Corssenus obicit (II^2 p. 802 adn.) sonum 'tractim' prolatum nihilo minus 'fractum' esse posse, scriptorum in hac voce usum prorsus neglègit: nam non modo apud Gellium IV, 6, 6 et VI, 10, 1 'producte' significat (quos locos iam Langenus attulit), sed Servius quoque ad Georg. IV, 260 'tractim' interpretatur 'sine intermissione, iugiter', Iulius autem Romanus apud Charisium I, 221, 9 K. haec habet: 'tractim Plautus in Amphitryone, ubi Sisenna 'pro 'lente', inquit, non ut Maro

---

[1]) Illud adscisci potuit, quamvis sit levioris momenti, quod grammatici docent medias syllabas ex accentu dignosci, ultimas ex 'finalitatis' quam dicunt ratione (LXXIIe al.); nam si reapse 'Rôma' et 'Rómae', Românus' et 'Románi' vario sono pronuntiassent, etiam finalium syllabarum quantitatem ex accentu dignoscere potuissent.

[2]) Eodem pertinent loci velut Donati ad Hec. I, 2, 61: 'pronuntiandum acutius 'illa prīma', quasi dicat 'plena desiderii', 'plena cupiditatis', vel ad Ter. Ad. II, 1, 10 'Acuendum est 'rē' et significanter proferendum', vel Terentiani Mauri v. 138 de 'O' vocali: 'At longior alto tragicum sub oris antro Molita, rotundis acuit sonum labellis'. Cf. Weil. et Benl. p. 60: 'l'aigu sur un monosyllabe (ne) à voyelle longue nous semble assez étonnant'.

[3]) Sed praeter Pompeium non modo Cledonius idem habet (XXVI^c), verum etiam Servius (XXVI^a); cf. praeterea Servius c. in Don. p. 426, 2 K.: 'syllaba autem longa duo habet tempora, brevis unum; ideo autem unum dicimus tempus in brevi, quoniam cursim profertur, duo autem in longa, quia tractim et cum quadam mora' e. q. s.

georgicon IIII 'tractimque susurrant' inquit'; porro huc spectant Prisciani verba (LIII): 'syllaba est vox litteralis, quae sub uno accentu et uno spiritu indistanter profertur'[1]). Denique si cui adhuc restant dubitationes, en locum repetam, qui omnem dirimit controversiam, qui nescio an ideo adhuc in tenebris iacuerit, quia in libro exstat, in quo vix talia quaeras — Vitruvii de archit. V, 4, 2 (XXII): 'Vox enim mutationibus cum flectitur, alias fit acuta, alias gravis, duobusque modis movetur, e quibus unus effectus habet continuatos, alter distantes. continuata vox neque in finitionibus consistit neque in loco ullo, efficitque terminationes non apparentes, intervalla autem media apparentia, uti sermone cum dicamus 'sol', 'lux', 'flos', 'vox'. nunc enim nec unde incipit nec ubi desinit intellegitur, nec quae ex acuta facta est gravis, ex gravi acuta, apparet auribus; per distantiam autem e contrario. namque cum flectitur, in mutatione vox statuit se in alicuius sonitus finitionem, deinde in alterius, et id ultro citro crebre faciendo inconstans apparet sensibus, ut in cantionibus[2]), cum flectentes vocem varietatem facimus modulationis'. In eisdem igitur monosyllabis, quae grammatici pro circumflexi accentus exemplis afferunt (LXIX^{a-m}), hoc loco disertis verbis dicitur neque ex acuta gravem nec ex gravi acutam factam apparere auribus; quo minus iam intelleges L. Muellerum, qui sibi aliquid dixisse visus est, cum hac exclamatione potius quam argumentatione uteretur (de re metr. p. 375): 'ceterum quod nuper omnino negavit Langenius adfuisse accentum circumflexum vocabulis latinis, longissime a vero aberrasse illum censeo. nam qui in monosyllabis pro simplici lege sonorum gravem tonum et acutum diligenter distinxerunt, qui credibilest in isdem acutum a circumflexo non segregasse?'

---

[1]) Cf. Terentianus Maurus v. 1343: 'Una longa non valebit edere ex sese pedem, Ictibus quia fit duobus, non gemello tempore. Brevis utrinque sit licebit, bis feriri convenit, Parte nam attollit sonorem, parte reliqua deprimit.'

[2]) Cf. Ciceronis verba supra allata (p. 34), quibus item inflexus sonus non nisi cantibus applicatur, itemque Aristoxeni (p. 41 ann. 2).

Sed quoniam Vitruvium doctrinam illam ex graecis fontibus hausisse cum per se veri simile est, quippe cum omnia fere illis debeat, tum ipsius testimonio constat, quia Aristoxeni nomen paulo ante commemorat, iam in eo est, ut ad graecorum grammaticorum praecepta transeamus. Etenim quantum experti simus litterarum damnum, quod non solum antiquiorum grammaticorum de accentu libri non nisi frustorum instar ad nos pervenerunt, sed etiam Herodiani docta de origine accentuum deque huius doctrinae progressibus expositio penitus periit, inter omnes constat quibus haec studia cordi sunt[1]). Quo magis hoc tenendum est, ut ne quid praetermittamus quod aliqua ex parte facere possit ad hanc iacturam explendam. Eius rei exemplum sumam ex veterum grammaticorum de flexa prosodia testimoniis[2]).

Primus igitur, a quo de accentibus aliquid traditum habemus, Aristoteles in arte rhetorica III, 1 haec habet: πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι (τῇ φωνῇ) πρὸς ἕκαστον πάθος, οἷον πότε μεγάλῃ καὶ πότε μικρᾷ καὶ πότε μέσῃ καὶ πῶς τοῖς τόνοις οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστον. Similiter in artis poeticae parte suppositicia, qua paucis adumbratur grammatica, haec legimus (c. XX): ταῦτα δὲ (τὰ στοιχεῖα) διαφέρει σχήμασί τε τοῦ στόματος καὶ τόποις καὶ δασύτητι καὶ ψιλότητι καὶ μήκει καὶ βραχύτητι ἔτι δὲ ὀξύτητι καὶ βαρύτητι καὶ τῷ μέσῳ. His locis cum circumflexus omitteretur, iam antiquo tempore Porphyrius περὶ προσῳδίας in Villoisoni Anecd. t. II p. 109 eo adductus est, ut μέσην opinaretur esse circumflexam[3]); aliis autem artificiis Weilius

1) Cf. Lentz. praef. Herod. p. XXXVII.

2) Olim in Kuhn. Diar. t. XIII p. 207 circumflexum proprium esse accentum F. Bollensenus negavit, sed tam perversa ratiocinatione usus, ut non digna sit quae afferatur, nedum quae refellatur.

3) Hunc errorem silentio praetermisissem, nisi et Wilmannsius (l. s. s. p. 50) idem protulisset et Hadleius (l. s. s. p. 417: 'doch ist es möglich, dass er hier unter Mittelton den Circumflex versteht'). Sed hoc cum ad nomen μέσης non quadrat, tum Theophrastus inter ipsius mediae prosodiae auctores enumeratur, in quo Aristotelem praeceptorem secutus esse censendus est; denique Tyrannio, e cuius libro nostra de media prosodia notitia fluxit, et ipse Peripateticorum sententiam amplexus est (cf. Planer. de Tyr. gramm. p. 9). Sed de hac postea dicemus.

Benloewiusque p. 15 rem expedire studuerunt. At mihi in tanta antiquae artis testimoniorum penuria vetustior scriptor eo minus ad posteriorum sententiam detorquendus esse videtur, quod ne post Aristotelem quidem inter eruditos de accentu illo satis constare videbimus. Sed priusquam ad illos aggrediamur, alium perscribam Aristotelis locum, in quo ipso item de acuta gravi media agitur (περὶ ζώων γενέσεως V, 7, 786ᵇ 26): βαρὺ μέν ἐστιν ἐν τῷ βραδεῖαν εἶναι τὴν κίνησιν, ὀξὺ δ' ἐν τῷ ταχεῖαν. τοῦ δὲ βραδέως ἢ ταχέως πότερον τὸ κινοῦν αἴτιον ἢ τὸ κινούμενον, ἔχει τινὰ ἀπορίαν. φασὶ γάρ τινες τὸ μὲν πολὺ βραδέως κινεῖσθαι, τὸ δὲ ὀλίγον ταχέως, καὶ ταύτην αἰτίαν εἶναι τοῦ τὰ μὲν βαρύφωνα εἶναι, τὰ δὲ ὀξύφωνα, λέγοντες μέχρι τινὸς καλῶς, ὅλως δ' οὐ καλῶς. τῷ μὲν γὰρ γένει ὀρθῶς ἔοικε λέγεσθαι τὸ βαρὺ ἐν μεγέθει τινὶ εἶναι τοῦ κινουμένου. εἰ γὰρ τοῦτο, καὶ μικρὸν καὶ βαρὺ φθέγξασθαι οὐ ῥᾴδιον, ὁμοίως δὲ οὐδὲ βαρὺ καὶ ὀξύ. καὶ δοκεῖ γενναιότερος εἶναι φύσεως ἡ βαρυφωνία καὶ ἐν τοῖς μέλεσι τὸ βαρὺ τῶν συντόνων βέλτιον. τὸ γὰρ βέλτιον ἐν ὑπεροχῇ, ἡ δὲ βαρύτης ὑπεροχή τις. ἀλλ' ἐπειδή ἐστιν ἕτερον τὸ βαρὺ καὶ ὀξὺ ἐν φωνῇ μεγαλοφωνίας καὶ μικροφωνίας — ἔστι γὰρ καὶ ὀξύφωνα μεγαλόφωνα καὶ μικρόφωνα βαρύφωνα ὡσαύτως —, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὸν μέσον τόνον τούτων· περὶ ὧν τίνι ἄν τις ἄλλῳ διορίσειεν (λέγω δὲ μεγαλοφωνίαν καὶ μικροφωνίαν) ἢ πλήθει καὶ ὀλιγότητι τοῦ κινουμένου;

Longiorem exhibui locum, quamvis videri possit vix huc pertinere, quia ex eo intellegimus, unde orta sit veterum de flexo accentu doctrina. Namque cum brevitatem celeremque motum[1]) acutae voci applicarent, 'ut non longius quam per unam syllabam, quin immo per unum tempus protraheretur' (XXI), haec iniecta est quaestio, quomodo in longis syllabis inesse possit acuta. Hanc ut expedirent difficultatem, in aliqua parte talium syllabarum summum illud fastigium inesse dixerunt: neque tamen id eodem omnes modo definierunt (XIX). Etenim Eratosthenes semper priorem moram

[1]) Varro apud Sergium de acc. (XXI): 'acuta exilior et brevior et omni modo minor est quam gravis' e. q. s.

acutam esse statuit, Theodorus aliquando etiam posteriorem[1]); iam vero alii prodierunt — iique sanissimo usi iudicio —, qui neque ex acuta gravem neque ex gravi acutam factam apparere auribus contenderent: hanc opinionem supra apud Vitruvium invenimus, qui Aristoxenum auctorem nominat[2]), eandemque etiam Dionysius Olympius[3]) probasse videtur, siquidem recte loco illo Sergiano (XXXVI) διάτονον pro 'aponon' reposui. Denique ea sententia, quae volgo obtinuit et etiamnunc omnium ore circumfertur, quam ad Aristophanem Aristarchumque redire veri simile est, ita declaranda est, ut vocalem longam tanquam in duas breves dividentes iam eas huc transferrent leges, quae omnino valerent in lingua graeca, id quod planissime perspicere possumus ex syllabis contractis[4]). Vel maxime autem idonea visa est haec res ad dignoscenda δίχρονα, quae quantam molestiam pepererint antiquis grammaticis notum est; hoc Herodiani

---

[1]) Quin etiam tertiam rationem Glaucus Samius intulit, qua primum acuta, dein gravis, postremo iterum acuta in eadem vocali exsisteret (ἀντανακλαζομένη ∧∨), quae doctrina nescio an cum rhythmicorum ratione cohaereat, qua nonnullis syllabis longis tres moras tributas esse scimus; nam haec omnia ad rhythmicas rationes accommodata sunt (cf. VI. VII) satis saepe spinosas atque argutas.

[2]) Ille haec habet (12, 3 M.): δύο τινές εἰσιν ἰδέαι κινήσεως ἥ τε συνεχὴς καὶ ἡ διαστηματική. κατὰ μὲν οὖν τὴν συνεχῆ τόπον τινὰ διεξιέναι φαίνεται ἡ φωνὴ τῇ αἰσθήσει οὕτως ὡς ἂν μηδαμῶς ἱσταμένη μηδ' ἐπ' αὐτῶν τῶν περάτων κατά γε τὴν τῆς αἰσθήσεως φαντασίαν, ἀλλὰ φερομένη συνεχῶς μέχρι σιωπῆς, κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικὴν ἐναντίως φαίνεται κινεῖσθαι. διαβαίνουσα γὰρ ἵστησιν αὑτὴν ἐπὶ μιᾶς τάσεως, εἶτα πάλιν ἐφ' ἑτέρας, καὶ τοῦτο ποιοῦσα συνεχῶς — λέγω δὲ συνεχῶς κατὰ τὸν χρόνον — ὑπερβαίνουσα μὲν τοὺς περιεχομένους ὑπὸ τῶν τάσεων τόπους, ἱσταμένη δ' ἐπ' αὐτῶν τῶν τάσεων καὶ φθεγγομένη ταύτας μόνον αὐτὰς μελῳδεῖν λέγεται καὶ κινεῖσθαι διαστηματικὴν κίνησιν. Num ea, quibus immutavit auxitque hanc sententiam Vitruvius — quibus ipsis ad eam quam tractamus quaestionem accommodatur —, ex sectatore quodam Aristoxeni transcripserit, vix decerni poterit.

[3]) Hunc non commemorat in enumerandis Dionysiis grammaticis Lentzius praef. Herod. p. CLXVI.

[4]) Ab his profectam esse totam hanc doctrinam inde licet assequi, quod ubi de circumflexo agitur, saepius primo loco tales formae a grammaticis pro exemplis proponuntur.

verbis demonstratur (I p. 6 Lentz.): καὶ γὰρ τὸν περὶ διχρόνων ὡς ὅτι μάλιστα διηκριβωκέναι ἀναγκαῖον τῷ τοῦτο ποιεῖν ἐθέλοντι (sc. ἑκάστῃ λέξει τὴν δέουσαν προσῳδίαν τιθέναι), ἐπεὶ πόθεν τὸ μὲν Ἶρος καὶ μῖμος προπερισπάσει, τὸ δὲ κτίλος καὶ Χίος, τὴν νῆσον φημί, παροξυνεῖ μὴ γνοὺς ὡς τὰ μὲν πρῶτα ἐκτεταμένον ἔχει τὸ ι, τὰ δὲ δεύτερα συνεσταλμένον;

Haud raro autem ipsi veteres dubitarunt, utrum circumflexum an acutum vocabulis imponerent, quippe cum ex rationibus grammaticis, non ex aurium iudicio decernendum eis esset. Sed hoc ne uberius persequar, movet me necessitas revertendi ad ea, quae mihi imprimis agenda sunt. Tamen suffectura esse confido quae attuli, ut mecum dicant qui rem ac veritatem anquirant, in lingua graeca, nedum latina inter tales voces, velut ῥῶμα et ῥώμη, Rôma et Rómae, nullam accentus differentiam apparuisse auribus; circumflexum igitur et anticircumflexum quos dicunt eis relinquendos esse puto, qui cum Pseudo-Prisciano (IX) accentus 'mysteria' si dis placet tractant. Eodem pertinent tales argutiae, quales excogitarunt Weilius Benloewiusque comite Corsseno, ut ubi in nominibus Θεμιστώ, Καλλιστώ, Ἀτρεύς al. grammatici latini circumflexum ponunt pro acuto, hoc quasi ultimum sibi concessisse dicant consuetudinem linguae latinae: sed velim eidem expediant et cur nihilominus grammatici constanter dicant graecos in his s e r v a r i accentus[1]) et cur Dositheus (CLXXIV[e]) vel graeca circumflexo insigniat, denique cur non idem sibi concesserint in nomine 'Allectó' (CLXXI)[2]). Unum ex his ineptiis restat, utrum paenultima naturaliter longa, si positione longa sit ultima, circumflexo an acuto pronuntianda vel potius notanda sit. Talia enim cum Martianus Capella (LXX[l]) acui contenderet, Weilius Benloewiusque p. 19 adn. Pseudo-Prisciani verba opposuerunt (LXX[m]): miserrimi igitur compilatoris silentium plus valere quam Martiani disertum

---

[1]) Cf. L. Muellerus Mus. Rhen. t. XVIII (a. 1863) p. 171.

[2]) Weil. et Benl. p. 65: 'une dernière concession faite aux habitudes latines'; cf. Corssen. II² p. 818, qui de 'tantôn' similia profert II² p. 849; idem 'Allectô' vel contra praeceptum Sergii proposuit II² p. 818.

testimonium sibi persuaserunt. Contra Corssenus II² p. 805 ex Servio, Diomede, Cledonio Martiani sententiam confirmare studet, qui non nisi quae trochaeum legitimum compleverint, hoc est priorem naturaliter longam, ultimam naturaliter brevem habuerint, circumflecti dicunt. Hoc quale sit argumentum ex ipso Corsseno percipere potes, qui II² p. 934 multis exemplis hos grammaticos positionem in definiendis pedibus prorsus neglexisse probat; in his cum nullum ex Servio petitum sit, feliciter accidit, ut ab eo disertum reperiatur testimonium, quod Corsseni sententiam refellit, Sergii explan. in Don. II p. 580, 14 K. de partic.: '. . . . * adiectione, declinatione, accentu; comparatione, ut 'doctus doctior'; adiectione, ut 'nate dea', si 'nate' tantummodo dicas participium est, si adiungas 'dea' nomen est 'nate'; accentu, ut 'páreo pârens'[1]); declinatione sic, nomen est, quando quartae declinationis est, quando secundae participium'. Sed omnino animadvertendum est grammaticos, qui omnes disyllaborum modos accurate describant (LXX^a—u), hunc fere omisisse, deinde in diversas partes de eo discessisse: cuius rei causa non occulta est. Nam cum in graeca lingua perpauca vocabula in duplicem consonantem exeant, in his ipsis de accinendi ratione ex parte dubitabant grammatici, utrum φοῖνιξ, σμῶδιξ, κῆρυξ enuntiandum esset an φοίνιξ, σμώδιξ, κήρυξ[2]). Quare Latini quid in hac re sequendum esset dubii haerebant eamque plerumque omittebant, ut vel inde appareat, quid fractus ille refractusque sonus a rerum veritate habeat auctoritatis.

---

[1]) Huic accedit paulo reconditius Pompeii testimonium (LXXI¹): 'ambae breves, ut 'égo', prior longa positione, ut 'árma', postrema longa positione, ut 'párens'; in codd. AC post 'ut 'ego' prior longa positione' insertum est 'pater', quod corrector codicis A post 'ego' transtulit, ut pyrrhichium; sed sine dubio ad 'părens' pertinet ac sive a Pompeio positum suoque loco depulsum sive ab alio additum est — id enim propter huius scriptoris condicionem criticam haud facile discernas — 'pārens' participium circumflecti docere vult.

[2]) Cf. Kuehneri 'Ausfuehrl. Gramm. d. gr. Spr.²' p. 247 adn., qui huius doctrinae auctores memorat.

CAPUT V.

De prosodia media.

Venimus ad quaestionem haud minus difficilem et intricatam de media prosodia: de qua cum pauca eaque paulo reconditiora memoriae prodita sint, viri docti satis inter se diversas rationes excogitarunt.

Proficiscendum autem nobis est ab accurata interpretatione loci illius ex Sergio qui dicitur petiti, qui unus adhuc in hac quaestione adhibitus est (XIX). Illic cum dictum sit mediam 'acutam plerumque esse potius quam gravem, quod ea propius utramque sit, quam illa superior et inferior inter se', iam sic pergitur: 'sed hoc de media prosodia satis, quo quis sciat esse quaerendam. ceterum qui hanc ignorant, quia sola noverunt quae in scholis studuerunt, non sunt culpandi. sed nec magistros, qui tres solas demonstrant, erroris arguerim, si modo hoc docendi causa faciunt, cum ipsos quarta non lateat. tres prosodias in usu esse scire oportet ἀνειμένην, ἐπιτεταμένην et κεκλαcμένην; media autem, quae inter duas quasi limes est, quod gravioris quam acutioris similior est, in inferioris potius quam superioris numerum relegatur. in hoc enim fere doctissimorum consensus est acutam plus una in verbo esse non posse, graves esse complures.'

Hi loci cum aperta laborarent dissensione, Wilmannsius (l. s. s. p. 55) 'acrius intuenti et a verbis 'quod ea propius utramque sit' proficiscenti' non dubium videri posse dixit, quin priore loco tale quid exstitisset, quale reposuit 'eamque acutae coniunctam plerumque esse potius'. Sed cur fundamentum iaciat disputationis suae verba insanissima 'quod ea propius ... inferior inter se'[1]), equidem non intellego: nam gravem et acutam longius inter se distare, quam mediam inter illas, quis Varronem diserte addidisse putabit? Recte igitur Keilius

[1]) Cf. de hoc loco Langenus Fleckeis. Ann. l. s. s. p. 49, a quo in quibusnam rebus discedam, supra significavi (p. 34). Ceterum et Corssenus II[2] p. 825 et Hadleius l. s. s. p. 417 illam ipsam testimonii partem exhibuerunt, quam abiciendam esse demonstrabimus.

delet verba, minus recte ad lacunam post 'oportet et' pertinere putat, ubi procul dubio graeca nomina a me restituta exciderunt (cf. XIX adn.); immo pro pravo interpretamento habenda esse videntur. Sed non tam in prioribus verbis 'eamque acutam plerumque esse potius quam gravem' haerendum esse quam in posterioribus, non desunt quae vestigia suadeant. Ac primum quidem verba 'sed hoc de media prosodia satis' excerpta e Varrone interrumpi declarant, ut quae secuntur a Censorino adiecta sint[1]); tum vero verba 'in hoc enim fere doctissimorum consensus est, acutam plus una in verbo esse non posse, graves esse complures' aperte produnt, in quanam ille re offenderit; namque cum antiquitus traditum omniumque mentibus infixum esset 'acutam plus una in uno non esse vocabulo'[2]), media autem simul cum illa poni doceretur, non debuit 'acutioris quam gravioris similior esse', ne illa lex conturbaretur[3]): quocirca Censorinus sive qui haec excerperet ita solvere quaestionem instituit, ut mediam adsignaret potius gravioribus.

Iam vero Varronem re vera plures in eodem vocabulo

---

[1]) Haec ab alio inserta esse etiam inde patet, quod locutiones ab auctore usurpatae repetuntur; qui cum dixisset (XXXVI) 'media, quia limes est, per quam supradictae ultro citroque commeant', ille id his expressit 'media autem, quae inter duas quasi limes est'.

[2]) Etiam Cicero id cum statueret (LVI) non nisi primarium accentum in animo habuit; eum vero bene ad vocum varietatem animadvertisse, ex his verbis intellegimus de or. III, 216: 'omnis enim motus animi suum quendam [a] natura habet voltum et sonum et gestum, corpusque totum hominis et eius omnis voltus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant a c u t a g r a v i s, c i t a t a r d a, m a g n a p a r v a, q u a s t a m e n i n t e r o m n e s e s t s u o q u a e q u e i n g e n e r e *mediocris*.'

[3]) Quanta autem veteribus fuerit religio, ne plures uni vocabulo accentus tribuerent, scholion illud ad primum Odysseae versum ostendere potest: ἔδει μὲν ἐν τῷ ἄνδρα δύο εἶναι ὀξείας ὡς τὸ 'ἄνδρά τε καὶ οἶκον' (ζ 181), ἀλλ' ἐφυλάξατο ὁ Ἀρίσταρχος διὰ τὸ μὴ ἐν τῇ εἰσβολῇ τῶν λέξεων κακοφωνίαν ποιῆσαι. Cf. Charac. ap. Choer. 20, 10 Gaisf.; Bekkeri Anecd. 1149: καὶ εὐλόγως εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς Ὀδυσσείας ὁ Ἀρίσταρχος οὐκ ἐβουλήθη δοῦναι εἰς τὸ 'ἄνδρα μοι' δύο ὀξείας, φάσκων 'ἐν ἀρχῇ ποιήσεως παράλογον οὐ μὴ ποιήσω'. cf. Herodian. I p. 129 Lentz.; Lehrsium quaest. ep. p. 105.

tenores statuisse ex fragmento enucleatur, quod Gellius servavit (LXXXII): 'Varro libris quos ad Marcellum de lingua latina fecit: 'in prior*e* verb*o* graves prosodiae quae fuerunt manent, reliqu*ae* mutant.' Gellius hunc locum non alio consilio attulit, nisi ut Varronem 'mutant' elegantissime pro 'mutantur' dixisse exemplo illustraret; itaque quo spectet sententia, certo definiri nequit, attamen probabili coniectura assequi licet. Nam ubi Varro exponeret, quomodo 'pronuntiatio' conturbaret legem accentuum, tale quid inserere potuit, ut 'dextrovorsum' per se mediam in 'dex' syllaba, in 'vor' acutam habere doceret, si vero in priore parte vocis compositae sententiae quaedam vis inesset, mutare illas prosodias, ut 'dex' potius acuta efferretur[1]), velut in Plauti Curc. I, 1, 70: si deós salutas déxtrovorsum cénseo' (cf. CXLIX[c]; CLVII[a]).

Sed hoc utut se-habet, tamen in longiorum vocabulorum, praecipue compositorum priore parte Varronem mediae sedem tribuisse ex Martiani Capellae loco evinci potest. Qui cum initio (LXXIII[d]) e volgari ratione docuisset 'omnem vocem latinam simplicem sive compositam unum sonum habere aut acutum aut inflexum', in fine hoc adiecit (LXXIV) nullo vinculo cum eis quae antecedunt coniunctum: 'sciendum etiam uni vocabulo accidere omnes tres accentus posse, ut est Árgilêtum'. Hoc tam singulare est praeceptum, ut non possit non summopere animos nostros advertere; cum autem supra (p. 7) luculento exemplo Martianum e Varrone de accentibus nonnulla transtulisse demonstraverim, vix dubitabimus quin hoc quoque ad illum referamus, acutam autem cum circumflexo in eodem verbo coniunctam non

[1]) Tale quid ut vel maxime abhorret a posteriorum grammaticorum tritissimis ac ieiunissimis praeceptis, ita a Varronis ingenio et doctiore tractationis genere haudquaquam alienum esse videtur; satis apte autem etiam illa verba adsciscemus, quae ante doctam de enuntiandis graecis nominibus explanationem exstant (CLXXI): 'quod ad latinos accentus attinet sive stativos seu commutabiles, satis dictum'; nam recte Wilmannsius dixit l. s. s. p. 50 accentuum mutationes illic nullo modo tangi; itaque haec quoque talem qualem statuimus Varronis tractationem commendant.

aliam esse statuamus ac mediam ʻacutam plerumque potius quam gravem'.

At postero tempore cum etiam Alexandrini grammatici magis magisque μέσην illam prae accentu primario neglegerent, utpote qui solus denotaretur in vocabulis, Censorinus illud invenit, ut mediam inter graves prosodias referret, ceteri prorsus missam fecerunt, quod Palaemonis potissimum auctoritate obtinuisse supra (p. 12) non sine specie probabilitatis coniecisse mihi videor. Ceterum ad removendam illam doctrinam etiam hoc aliquid valuisse, quod re vera media illa iam minus in sermone auribus appareret, non equidem negaverim [1]).

Coniunctis igitur his testimoniis efficitur, ut iam pro certo affirmare possimus etiam Varronis doctrinam Corssenum assecutum esse, cum satis recte et probabiliter [2]) de media prosodia disputaret (II² p. 823 sqq.) et Mistelii sententiam [3]) (Kuhn. Diar. t. XVII p. 89 sq.) refutaret, qui ex Indicorum grammaticorum placitis suaritam quem dicunt etiam in lingua latina graecaque valuisse contenderet. Nam hoc per se

[1]) Praeterea non omittam simile quid in arte metrica evenisse; cf. Bacchius p. 24 Meib.: τὸν δὲ ἀναμέσον τῆς ἄρσεως καὶ τῆς θέσεως χρόνον οὐκ ἄξιον ἐπιζητεῖν ὡς ὄντα τινὰ τῶν κατὰ μέρος. διὰ γὰρ τὴν βραχύτητα λανθάνει καὶ τὴν ὄψιν (!) καὶ τὴν ἀκοήν, πόδα δὲ καὶ σύνθεσιν στοιχείων ἐλαχίστην δεικνύων. Huius doctrinae num alia exstent vestigia, ignoro; sed non indigna videtur, quae accuratius pervestigetur.

[2]) Alexandre J. Ellis, ʻon accent and emphasis' (Transact. of the Phil. Soc. 1873/4 t. I p. 145, 2) de hac Corsseni ratione dicit: ʻthis is pure modern ignorance and confusion'. Ipsius viri opiniones adeo vagantur, ut non magis respexerim, quam alterius Angli inventa eodem loco proposita.

[3]) Quod Weilius Benloewiusque talem prosodiam et praecedere et sequi acutam sumpserunt, satis refutatum est; nam priorem illam admodum dubiam esse, ipsi quodam modo concedunt (p. 16), posteriorem ex eis, quas ipsi illustrant (p. 162 sqq.), linguae affectionibus non probabilem esse Langenus observavit (Fleckeis. Ann. l. s. s. p. 63; cf. Reinhardtus de vocis intent. p. 30). Corssenus autem hanc opinionem ex loco Sergiano male intellecto profectam esse tam luculenter demonstravit, ut etiam Langenus, cum antea illud etsi non verum, attamen Varronianum esse iudicasset (l. s. s. p. 49), eius rationem amplecteretur Philol. l. s. s. p. 117.

patet, quae Varronem e Tyrannione aliisque grammaticis graecis percepisse constat, necessario etiam ad graecam linguam referenda esse[1]).

Quae cum ita sint, eam quam nuper Hadleius de graeci latinique accentus principiis proposuit sententiam eo minus probare possum, quod ille non modo mediam cum Mistelio suaritam esse coniecit, verum etiam ea nititur circumflexi explicatione, quam supra refutare studui. Sed cum videam eius rationem 'principibus placuisse viris', facere non possum, quin adiciam eam, vel si concedamus quae satis dubia esse ipse monuit[2]), non videri sufficere ad expediendas accentuum leges. Has enim omnes inde repetendas esse statuit, quod veteres quodam modo adamassent eam voculationem, qua acuta media gravis in fine graecorum vocabulorum, in latinis acuta, brevis media, gravis sese exciperent[3]). Qui si nobis declararet, quomodo in tam amplam verborum copiam pervenerit voculatio illa, ut ad eorum normam alia exigantur[4]), non credo nos magnopere

---

[1]) Recte nuper Kuehnerus p. 249 sq. ita statuit eis nisus rationibus, quae Boeckhius de metr. Pind. p. 54 sq., Boppius 'Vergl. Accentuationssyst.' p. 16 ann. 3, G. Curtius in Fleckeis. Ann. t. LXXI (1855) p. 342, Corssenus II² p. 824 exposuerunt.

[2]) l. s. s. p. 427: 'Das Vorhandensein eines Mitteltons im griechischen und lateinischen wird durch manches alte Zeugniss bestätigt. Dass aber auf einen Hochton, welcher nicht am Ende des Wortes stand, regelmässig ein Mittelton folgte, ist eine Behauptung, welche, wenngleich sie durch die Analogie des Sanskrit unterstützt wird (?), doch kein direktes Zeugniss in den Angaben der alten Schriftsteller hat . . . . . Zugleich aber kann man mit Fug sagen, dass die Hypothese an sich so natürlich ist (?), durch bekannte Thatsachen so leicht an die Hand gegeben wird und eine so einfache und vollkommene Erklärung für eine Mannigfaltigkeit von anscheinend unverbundenen und launenhaften Erscheinungen bietet, dass man kaum umhin kann zu glauben, sie gründe sich auf Wahrheit'; cf. p. 421.

[3]) Subtiliores differentias, quas inter latinam graecamque rationem statuit, p. 420 sqq. et 424 sqq. exposuit; cf. etiam Mangoldus 'de diectasi Homer.' in Curtii Stud. t. VI p. 149.

[4]) l. s. s. p. 420: 'Bezüglich der Urgriechen hätten wir voraus zu setzen, dass zu einer gewissen Zeit sich ein gewisser Geschmack, eine besondere Vorliebe für diesen Tonfall unter ihnen entwickelte, und zugleich eine Abneigung gegen jeden Tonfall, in welchem auf einen Hoch-

desideraturos esse talem explicationem. Haec enim quomodo invaluerit accinendi ratio ostendere potest, quomodo principio exstiterit, non potest.

Sed ut ad veteres grammaticos redeam, etiam ex hac de media prosodia explanatione elucet, quam manca sit ac ieiuna quae volgo obtinuit Alexandrinorum περὶ προσῳδιῶν doctrina. Nam cum praeter Aristotelem, quem Glauconem Teium in hac re secutum esse veri simile est[1]), et Tyrannionem[2]), ex quo Varro sua deprompsit, Theophrastum philosophum, Glaucum Samium, Hermocratem Iasium, Athenodorum, alios mediam illam tractasse diserto testimonio memoriae proditum sit, apud Herodianum aliosque prosodiae scriptores vel mentionem eius frustra quaeras, aeque ac dubitationum illarum de flexa prosodia notitiam, quas supra composui[3]).

Sola enim quae scholica disciplina fixa et longioris temporis consuetudine stabilita essent, Herodianus summa diligentia tradidit; e quibus permulta non ex certa observatione, sed ex grammaticis rationibus constituta sunt. Nam accentuum doctrinam ipse dicit summis difficultatibus impli-

---

und Mittelton mehr als ein Tiefton folgte. . . . . Man wird finden, dass diese Hypothese genügt, um die vier schon gegebenen allgemeinen Gesetze zu erklären.'

[1]) Id recte suspicatur Wilmannsius ex Rhet. III, 1: ὅπερ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν καὶ Γλαύκων ὁ Τήϊος. ἐστὶ δὲ αὐτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι . . . πρὸς ἕκαστον (v. p. 39). Sed unde Wilmannsius Glauconem Teium eundem fuisse sumat ac Glaucum Samium, non video; hunc enim cum et aliis nominibus denotasse accentus et sex, non tres prosodias proposuisse traditum habeamus, quid tandem nos permovere potest, ut eam et nominum et patriae permutationem statuamus, quae quanquam saepius usu veniat, tamen ita coniuncta ne externam quidem probabilitatem praebeat?

[2]) Hunc inter Aristotelem Tyrannionemque consensum interiore quodam nexu niti, quo philosophum praeclarissimum secutus est grammaticus, ex eis apparet quae Planerus de Tyr. gr. p. 9 exposuit; v. supra p. 39 adn. 3.

[3]) Quam penitus autem interciderit mediae doctrina, planissime illud ostendit, quod ne nomen quidem posteriores intellexerunt, ita ut et Porphyrius (v. p. 39) μέσην pro flexa acciperet et anonymus grammaticus quem Wilmannsius p. 54 adn. attulit.

catam esse, quippe quae cum omnibus grammaticae disciplinae partibus cohaereat (cυμπέραcμα cχεδὸν πάcης τῆς γραμματικῆς τυγχάνει μεθόδου Herod. t. I p. 6 Lentz.; cf. praef. p. XXXVII). Idem autem in operis initio libere profitetur definiri accentum ἤτοι κατὰ cυνήθειαν διαλέκτου ὁμολογουμένης ἤτοι κατὰ τὸν ἀναλογικὸν ὅρον καὶ λόγον[1]).

Quae cum ita sint, non minus de graecis grammaticis valere puto, quod Quintilianus 'non invenuste' de latinis dici commemorat I, 6, 27: 'aliud esse latine, aliud grammatice loqui.'

Attamen nostrates grammaticos semper fere invenies ea potissimum quaerere ac sequi, quae Aristarchi Herodianique auctoritate sanciantur, quos non nisi raro[2]) et in apertissimis erroribus argutiisque derelinquunt. Alienissimum esse a me, ut meritae cum aliorum tum Regimontanorum philologorum laudi obtrectem, non est quod dicam: admirabili illorum diligentia, sollertia, sagacitate effectum est, ut certa iam fundamenta habeamus, quibus nitatur haec doctrina. Sed iam in eo est, ut longius progressi principia indagemus, e quibus Alexandrini praecepta de accentu repetiverint, et ex eis, non ex eruditorum auctoritate quid sequendum sit diiudicemus. Quem laborem si quis non occaecato novandi studio, sed sobrio exsequatur iudicio, magno id futurum esse fructui equidem persuasum habeo.

---

[1]) Ubi vero ambigitur inter grammaticos de vocis cuiusdam accentu — id quod persaepe fit — semper rationes ex arte grammatica petitae (λόγοι), nunquam fere sermonis lex et consuetudo afferuntur; quin etiam auctoritate contra 'rationem' obtinuisse prosodiae dicuntur (καίπερ λόγον οὐκ ἔχουcα). Cf. Lentz. praef. Herod. p. LXXVIII, qui num haec et similia iure cum Lehrsio ab Herodiano abiudicet, dubitari potest.

[2]) Cf. Lentz. praef. Herod. p. CXXIX: 'nam Herodianum non semper verum vidisse constat'. Cf. Lehrs. Arist.[2] p. 286 sqq.

CAPUT VI.

De antiquioris in lingua latina accentus vestigiis.

Quae ab antiquis grammaticis traduntur leges principales, tam et simplices sunt et certae indubitataeque, ut non habeam quid eis addam. Imprimis memorabile est ultimam syllabam iam non acui in lingua latina, de quo quid sentiam supra significavi p. 22. Quod vero paenultima si longa est, semper accentum sibi vindicat, ex naturali quadam attractione profluxisse videtur[1]). Praeterea illud potissimum insigne est, quod intra trium syllabarum finem accentus continetur; quam legem cum etiam in lingua graeca obtinere videret, quid mirum quod ab ipsa natura institutam esse Cicero opinaretur? Nunc autem multo ampliore linguarum cognitione instructi, praecipue vero affinium inter se linguarum comparatione edocti hoc non modo non naturae lege fieri scimus, sed ne in illis quidem linguis ab initio valuisse certissime conicere possumus. Atqui quaeritur num hodieque liceat in singulis vestustiorem rationem deprehendere. Hanc ut assequerentur maxime formarum quarundam affectionibus concisionibusque usi sunt, quas, nisi alium fuisse accentum statueremus, intellegi non posse iudicarent. Atque qui primus talia tentavit[2]) Th. Reinhardtus scite non nisi

---

[1]) Sic apud nos quoque animadvertere possumus in talibus vocabulis velut ʻnothwendig', ʻvollständig', ʻMühlhausen', similibus, iam eo nonnullos inclinare ut mediam syllabam acuant, id quod in voce ʻlebendig' iam fixum stabilitumque est, cum principalis vernaculae linguae lex primam in his acutam esse velit. — Multo difficilior explicatu ultimae syllabae attractio est, quae apud Graecos accentum moderatur. Sed omnino vel in his accentuum legibus ea valuit qua prae ceteris veteres eminuerunt modi numerique virtus formarumque aequabilitas.

[2]) Corssenus ut inventores huius doctrinae et A. Dietericium laudat (cf. Kuhn. Diar. t. I p. 554 sqq.) et Benloewium Weiliumque (Benl., ʻaccent. dans les lang. indo-eur.' p. 173 sqq.; ʻthéor. gén.' p. 119 sqq.). Sed haec qualiscunque est laus nec his debetur nec illi, sed potius Reinhardto, qui in ea quam saepius memoravi ʻscriptione philologica' p. 20 et 30 eisdem usus exemplis idem probare studuit.

ex vocalium volgo accentu praeditarum eiectione priscum accentum revocare voluit, cum ceteri etiam immutationibus earum imminutionibusque aliquid tribuendum esse censerent. Sed eas haud raro accidere vel si accentum haberent vocales, luculentissime cum G. Curtius demonstravit in Kuhnii Diar. t. IX p. 323 sqq. tum is docuit, qui penitus amplexus est illam sententiam, H. Ebelius in eisdem Diar. t. V p. 328: qui cum 'oenus' accentum in ultima habuisse postularet, ut 'unus' intellegeremus quomodo evasisset et eius generis similia, nemini, qui sobrio uteretur iudicio, non probavit hanc rationem nullam esse. Recte igitur etiam Corssenus magis magisque ad ea exempla rediit, in quibus non immutatae sed eiectae essent vocales. Sed vel in his multa dubia restare et incerta paucis liceat collustrare.

Ac primum quidem prorsus removenda sunt ea exempla, in quibus num ad eandem formam revocandae sint brevior ac longior vox decerni non potest: velut 'frutectum', 'dumectum', 'carectum', 'salictum' revera ex 'fruticetum', 'dumicetum', 'caricetum', 'salicetum' prognata esse (Corssen. II² p. 902) et alia huiuscemodi, quis est qui affirmet? (cf. Weil. et Benl. p. 126). In his autem factam esse syncopam quod statuitur, summae est audaciae, praesertim cum in magna parte exemplorum a Corsseno compositorum plenior forma de coniectura efficta[1]) et incerta sit; velut '*ménsitruos' attulit, cum 'mensum' antiquior genetivus breviorem stirpem prae se ferat et similia.

Non plus valet quod Corssenus II² p. 589 sq. cf. p. 900 sq. 'felix', 'loquax', 'concors', 'Campans', similia, cum prius vocalem ante finalem consonantem habuissent, accentum in antepaenultima posuisse dicit, quamvis longa esset paenultima: nam si quidem olim in nominativo vocalis apparuit — de quo valde dubitari potest — aliam fuisse rationem ex linguae

---

[1]) Nempe cum haud iniuria grammatici nonnulli recentiores monuerint, ne tales formas, quas ex analogia constituimus, reapse sic exstitisse pro certo habeamus, de earum accentu disserere ne perspicuitatis quidem studio excusatur, quae formas ipsas ut statuamus efflagitat.

historia efficere possumus. Etenim cum apud vetustissimos scriptores usu veniant 'Arpinatis', 'infimatis', 'nostratis', 'Laurentis', similia, rectissime tradunt artis magistri facta concisione in 'Arpinas', 'infimas', 'nostras' sim. in ultima remansisse accentum, quamvis postea in his quoque retractus sit (cf. XCVII^{c-f}); ad harum autem similitudinem illas formas, si quidem exstiterunt, iudicandas esse apparet[1]).

Iam alia exempla non video quidni ex eo qui volgo obtinuit accentu declarari possint: velut cum Corssenus 'dextróvorsum' antea propositum iam recte omiserit, non aliter iudicandum esse videtur de 'fle(v)erunt', 'proba(v)ĕrunt': 'probarunt', 'no(v)ĕrunt': 'norunt' et aliis, in quibus priorem vocalem fortioremque subsequentem seu correptam seu accentu praeditam sibi accommodasse nullam habet offensionem.

Haec igitur omnia, quorum rationes diversissimae sunt, Corssenus cum aliis ad unam eandemque normam revocavit. Ac nescio an etiam quae adhuc restant exempla explicatu difficiliora aliam interpretationem admittant.

Quod enim Weilius Benloewiusque dicunt p. 9: 'il est évident que l'accent ne peut affecter que les voyelles', id non ab omni parte verum esse ut ex aliis linguis ita ex lingua latina demonstrari potest: sunt enim consonantes quae eam cum vocalibus affinitatem habeant, ut etiam accentu intendi possint. Itaque satis notum est 'St', quod silentium renuntiat, ita per se syllabam facere, ut non attrahatur spiritus, sed propellatur; quare semper in versibus elevationem occupat[2]). Huic aliud exemplum addere licet. Nam cum

---

[1]) Iam idem pertinet ad 'rosâe(s)': 'rosâe': 'rósae', 'terrâe(s)': 'terrâe': 'térrae', cum 'rosâi', 'terrâi' formae diutius remanerent. Cur autem Corssenus non concedat Langeno, qui de his formis simile olim iudicium protulit, ex lege quae barytonica vocatur retractum esse accentum, quem ipse ex paenultimae longitudine sescenties protractum esse postulat, mihi certe obscurum est. — Ceterum quod nuper quidam vel florente litterarum aetate, ut 'nostrâs', ita 'ferôx' etc. (quin etiam 'locôs' sim.) dictum esse contendit, adeo confundit temporum rationes, ut non egeat refutatione (cf. p. 47 adn. 2).

[2]) Cf. Velius Longus p. 2213 P.; Bentleius ad Phorm. II, 3, 3 (350); Andr. IV, 1, 48 (683).

Lachmannus[1]) magna testimoniorum copia probaverit pro 'iste', 'ista', 'istud', 'isto', 'isti' usurpari 'ste', 'sta', 'stud', 'sto', 'sti', non credo multos eam probaturos esse opinionem, qua Weilius Benloewiusque (p. 131 ann.) contra linguae latinae indolem in his accentum in ultimam migrasse arbitrantur; immo eadem ratione accentus in acriore sibilo inerat 'śte', 'śta', 'śtud' etc.[2]).

Hinc profecti optime intellegere possumus formas 'dixti', 'scripsti', 'sumpse', similes: nam cum primum dictum esset 'dixísti', 'scripsísti', 'sumpsísse', sim., mox consonantes sibi affines ita coaluerunt, ut prodiret 'dixśti', 'scripśti', 'sumpśe': iam vero cum in consonante sese tenere non posset accentus, in priorem postea syllabam transiit. Sic etiam 'porcet' non ex 'pórercet', sed ex 'porćet' ortum esse videtur et alia huiuscemodi[3]). Durior autem haec quam proposui ratio adeo non abhorret a vetustioris linguae indole, ut potius optime congruat cum aliis priscae latinitatis proprietatibus.

Denique quod Corssenus non sine pondere II² p. 961 sq. Consentii testimonio (XCIX^f) usus est, qui cum 'tríginta' per barbarismum dici notaret, hanc voculationem in lingua Romanorum rustica usu venisse ostenderet, neglexit talia de barbarismo praecepta saepe ad exterarum gentium, quae Romam confluxerunt, consuetudinem spectare, non ad linguam rusticam[4]). Itaque hoc quid probare possit non video.

---

[1]) Ad Lucr. III, 954 p. 197; cf. etiam L. Muellerus de re metr. p. 304; 427.

[2]) Sic apud nos in volgari sermone 'es ist' ita profertur, ut nihil audias, nisi propulsum sibilum ('śs doch schrecklich', sim.). Ceterum etiam quod ex μνᾶ factum est 'mina', fortasse huc referri potest.

[3]) Velut 'pucrítia' 'pueŕtia', 'fenéstra' 'fenśtra'. — Denique tali ratione syllabas accentu insignitas posse intercidere, 'impraesentiarum' forma docet, quae cum ex 'in praesentia rerum' in lingua volgari coaluerit, ne Corsseno quidem in mentem venit 'impraesentiárērum' accentum statuere.

[4]) Sic Consentius illo ipso loco, quem Corssenus exhibuit, vitia Afrorum familiaria commemorat. Inde nescio an ipsum talium vitiorum nomen mutatum sit. Cf. Gellius XIII, 6, 2: 'quod nunc autem 'barbare' quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed

Ac si quaeras cur, qui ineunte hoc capite alium quondam accentum fuisse affirmaverim, idem haec non agnoscam quae prolata sunt vestigia, id potissimum me movet quod, quae propositae sunt formae et certae et effictae, omnes fere ei quem postea verba regere videmus accentui accommodatae sunt; at eis temporibus, quibus alia accinendi ratio valuit, sine dubio etiam formae multo pleniores integrioresque exstabant.

Iam vero eadem ratio me prohibet quominus eis fidem habeam, quae Bentleius statuit de accentu vocabulorum 'mulierem', 'inopiam', 'perierim', 'miseriae' sim., quae et alii approbarunt et summa cum diligentia Langenus explanavit[1]). Accuratissima quidem computatione ex certis exemplis effecit ille apud Plautum quadruplo, apud Terentium plus duplo maiorem talium verborum numerum inveniri, in quibus ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓, quam ⏑ ⏑́ ⏑ ⏓ accineretur; itaque eorum aetate utrumque dictum esse conclusit, Plauti temporibus saepissime, iam rarius Terentio florente: attamen miram numerorum rationem, nisi ex quaesita inter ictum accentumque concordia expediri non posse iudicavit. At quamvis numerorum rationem satis memorabilem esse concedam nec habeam quo eam explicem[2]), tamen cum omnino utroque accentu uti poetis licuerit[3]) et

---

'rusticum', et cum eo vitio loquentes 'rustice' loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis 'rusticus fit sermo', inquit, 'si adspires perperam'. Itaque id vocabulum, quod dicitur vulgo 'barbarismus', qui ante divi Augusti aetatem pure atque integre locuti sunt an dixerint, nondum equidem inveni.'

[1]) Bentleius ad Ter. Eun. II, 2, 36 (264); 3, 23 (665); Heaut. II, 3, 30 (271); Hermannus el. d. m. p. 63; Langenus diss. inaug. p. 16—20; Philol. l. s. s. p. 110—115. Contra Christius Philol. l. s. s. p. 181 quanquam multum accentui in versibus latinis tribuit, hanc improbavit sententiam cum ex metricis rationibus, tum quia prorsus nulla ratio excogitari posset, cur tandem, si in proceleusmaticis paeonibusque quartis id obtinuisset, aliter accentum posuissent in vocabulis, quorum mediae breves, quarta a fine longa esset.

[2]) Quae allatae sunt ad rem explicandam metricae rationes, eas non sufficere Langenus l. s. s. probavit.

[3]) Nam falso nuper quidam (W. W.) dixit 'múlieres' accentum apud Plautum ac Terentium semper usu venire ('Lit. Centralbl.' 1874 No. 39

uterque usu venerit, iam non video quid explicare possit illud, quod vel maxime amplector, concinnitatis studium: nam huic satisfactum erat sive hanc praeferrent sive illam formam[1]). Sed cum in his vocibus duae priores syllabae breves, quarum utra accentum habuerit quaeritur, arsin constituant, facillime ictus cum accentu poterit conciliari. Nam etsi nihil fere non modo metricam artem, sed etiam grammaticam ad laetiorem uberioremque tractationem provexit, quam perspecta et Homericorum carminum et scaenicorum latinorum in pangendis versibus ars et disciplina ac reiecta illa de immodica eorum licentia opinio, tamen cavendum est ne hac severitate inducti eam neglegamus non dicam licentiam, sed libertatem, in qua sola consistere ars potest[2]).

---

p. 1306: 'die einzig mögliche plautinisch-terentianische Betonung .... mulíeres eine Aussprache, die 'einem Kenner' sogleich Verdacht erregen müsste.'

[1]) In una forma non infitias ierim ex illa ratione pronuntiandum esse. Plaut. Capt. I, 1, 12 (cf. Ritschelius Opusc. t. II p. 509):

Quasi quóm caletur cóculeae in occultó latent.

In 'coculeae' et si quae sunt similes voces, cum tertia a fine non nisi per anaptyxin quam veteres dicunt orta sit, nescio an eadem ratione quarta retinuerit accentum, qua de Μήδεϊα idem statuunt grammatici graeci (Herod. cath. p. 8 Lentz.). Ceterum fors tulit, ut in una harum formarum, in quibus antiquiore tempore quartae acutum tribuunt, infimae aetatis grammatici inscite in paenultima pro antepaenultima ponerent (CV[a] sq.).

[2]) Cf. Ritschelii verba, quae p. 31 sq. exhibui. Eleganter etiam Maur. Hauptmannus ad Franc. Hauserum scripsit t. I p. 191: 'Eine belebte Intonation ist so wenig eine mathematisch reine, als ein belebtes Takthalten ein streng metronomisches ist ..... Das mathematisch Bestimmte ist nie und nirgends zu einer lebendigen Darstellung geeignet'. Quibus non inutiliter conferentur, quae in eandem partem valentia Ritschelius exposuit in praefatione libri Brambachiani 'Rhythmische und metrische Untersuchungen' p. XI. Talia ne neglegamus C. I. Hoffmanni viri de Homerica arte metrica rectius intellegenda meritissimi dictum monere potest, qui satis mire scripsit 'Proleg. ad Il. XXI et XXII' p. 120: 'μ' ante labiales insertam vocibus pronuntiando semper, neque tamen semper scribendo expressam esse; 'letzteres wäre z. B. in ἀβροτάξομεν (K, 65) ein metrischer Fehler gewesen'. Sic re vera efficitur, quod tanquam absurdissimum dicit Goethius nostras: 'Das ist gerade als wolltet ihr sagen: ich habe die Musik gesehn!'

Hanc autem libertatem ut etiam in eis de quibus agimus vocibus valuisse statuamus, ipsa Ciceronis auctoritas monet; nam eius praeceptum ad Plauti quoque Terentiique aetatem referamus oportet, quia et in oratoris loco ad accentum in scaena observatum spectat (v. p. 28) et in antiquioris latinitatis proprietatem se attendisse suavissimis verbis prodit de or. III, 44 sq.: 'cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. equidem cum audio socrum meam Laeliam — facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt — sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire. sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur, ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille quem dixi non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter.'

CAPUT VII.

De vocabulorum distinctione per accentum constituta.

Quae praeterea restant grammaticorum praecepta singularia, omnia fere eo inter se similia sunt, quod in vocibus accentu discernendis versantur. In hac re grammaticos latinos saepe ineptias argutiasque protulisse inter omnes constat. At vel impensius Alexandrini talibus distinctionibus indulserunt, quibus eos plerumque 'oculis potius quam auribus consuluisse'[1]) nondum satis perspectum est. Sed etiamsi his artificiis minime locum dandum esse existimo, tamen non video quid sibi voluerit Corssenus II² p. 809 sq., qui ad impugnandam grammaticorum rationem amplam similium formarum copiam componeret, quae ne ex illorum quidem sententia accentu distin-

[1]) V. Lehrsii Quaest. ep. p. 106: cf. Lentzii praef. Herod. p. CXXX.

guerentur. Nam ipsi grammatici[1]) dicunt (LXXXIV[a—c]) pleraque homonyma sensu facile discerni, in aliis ex accentu significationem intellegi; infimae demum aetatis homo ineptissimus Virgilius Maro (XC) eo devectus est insaniae, ut omnia distinguere vellet. Quapropter haec eo magis omittenda erant Corsseno, quod nonnumquam accentum differentiae causa mutari non potest negari. Itaque cum Donatus dicat (CXXXIX[a]) 'siquando' et prima syllaba acui posse et media, sed tamen 'variari sententiam', non est quod de hoc praecepto[2]) dubitemus, nisi quod nobis dicendum erit non tam a c c e n t u variari s e n t e n t i a m, quam s e n t e n t i a a c c e n t u m: nam si in condicione indicanda vis quaedam inest, 'si' habebit accentum, si in temporis adverbio, 'siquándo' pronuntiabitur. Qualia non pauca afferri possunt.

Sed ut ordine progrediamur, prima talis distinctio traditur Nigidii Figuli apud Gellium (XCV): 'voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut 'Valeri', utrum interrogandi sint an vocandi? nam interrogandi secunda syllaba superiore tonost quam prima, deinde novissima deicitur; at in casu vocandi summo tonost prima, deinde gradatim descendunt.' 'sic quidem Nigidius dici praecipit; sed si quis nunc 'Valerium' appellans in casu vocandi secundum id praeceptum Nigidii acueret primam, non aberit quin rideatur'. Nigidii aetate hanc voculationem obtinuisse nec Bentleius dubitavit ad Andr. II, 1, 20 nec Boeckhius de metr. Pind. p. 30; item Lindemannus probavit de l. l. acc. p. 30 sq., praesertim cum Nigidius tanquam res esset notissima loqueretur. Pri-

---

[1]) Cum simili ratione, qua accentum, etiam declinationem differentiae causa mutari statuant, notandum est Priscianum VII, 91 (p. 365, 2 H.) 'quamvis nulla cogente causa differentiae' dicere in quibusdam vocibus idem accidere, quod in aliis differentiae tribuit. Re autem vera distinguendi quoddam studium in linguarum conformatione valere etiam nostratium grammaticorum permulti suo iure agnoscunt.

[2]) Etiam hoc ad ea praecepta pertinet, in quibus posteriorum grammaticorum frigida tractatio astrictam legem constituit 'síquando', 'néquando' cum similibus proferendum esse, cum antea sermonis libertati aliquid tributum esset.

mus quod sciam Ritterus[1]) refutavit l. s. s. p. 60, ex hac pronuntiatione Gellii Priscianique aetate alteram evadere non potuisse iudicans. Iam Langenus diss. inaug. p. 21 eodem quo Lindemannus argumento usus, mutationem autem quodam modo explicari posse ratus Nigidium talia non effinxisse censuit[2]); contra Corssenus II² p. 812 cum Rittero aliisque fecit ac ne Nigidii quidem temporibus tale quid tribui posse e contrario Varronis praecepto evicit[3]). Is enim (cf. Wilmanns. Varr. frg. 17 p. 155) ex ratione grammatica et genetivum et vocativum horum nominum per duplex 'i' scribi debere contendit, sed propter differentiam casuum vocativum uno 'i' proferri voluit. Rursus Nigidium defendit Langenus Philol. l. s. s. p. 99 adn., non intellegi posse repetens qui tam certo praeciperet ille, nisi ex usu hausta esset eius doctrina[4]). At in errore versari videtur, cum 'servari' — quo in verbo cardo rei positus est — hoc loco 'retineri' significare putat id quod antiquitus traditum sit; nam exquisitiore Nigidii dicendi genere pro 'observari' usurpatum esse videtur, qua notione haec vox apud astrologos praecipue sollemnis erat. Quare Varroni, Gellio, Servio, Prisciano potius, quam

---

[1]) Huic assensi sunt Reinhardt. l. s. s. p. 27, Weil. et Benl. p. 61, Hertz. de P. Nig. stud. atq. op. p. 13.

[2]) Aliam Neuius ('Lat. Formenl.' t. I p. 80) rationem excogitavit, qui Nigidium, cum 'Váleri' acueret, ad 'Valeris' nominativum respexisse arbitraretur. Sed reconditiorem hanc declinationem antiquo alicui grammatico imputare nullam omnino probabilitatem habet.

[3]) Minus recte Corssenum, ut Nigidii inventum explicaret, ad graecorum vocativorum accentum Ἄπολλον, Πόσειδον descendisse putaverim. Nam in genetivis vocativisque nominum in 'ius' constituendis iam Lucilium antiquissimosque Romanorum grammaticos versari videmus, ut in re tam singulari ad alias alius linguae formas recurrisse quemquam probabilitate careat; cf. Velius Longus p. 2229 P.; Lachmann. l. s. s. p. 329.

[4]) Quod Langenus ad evertendam Varronis auctoritatem dicit eum, qui pro 'Valeri' sim. genetivo longa consuetudine stabilito 'Valerii' sim. proponeret, vel accentum facili negotio mutaturum fuisse, interest tamen aliquid inter hoc et illud. Nam ut exemplum afferam, si vernacula lingua magistellus aliquis ne iam 'andrer' diceremus, sed 'anderer' postularet, num putida hac diligentia animos aeque offenderet, ac si in nominativo singulari 'ándrer', in genetivo plurali 'andérer' pronuntiandum esse praeciperet?

Nigidio homini quaesitae et perversae saepe subtilitatis fidem habebimus[1]).

Ut igitur in his casibus facta extremae vocalis abiectione accentus in brevi ponitur paenultima, sic in aliis ex eadem ratione in ultima statuitur. Ac primum quidem 'Arpinâ(ti)s', 'cuiâ(ti)s', 'nostrâ(ti)s', similia, optimis probantur testimoniis[2]) (XCVII^{a-f}). Item accentus remanet in decurtatis formis et compositorum 'duco' verbi imperativorum et pronominum cum 'ce' et 'ne' encliticis coniunctorum; quanquam quod in his sibi non constitit usus, ut etiam integer simplicium formarum accentus facta abiectione usurparetur, nullam offensionem habet (cf. p. 53). Hoc autem re vera factum esse[3]) ex diligenti poetarum scaenicorum observatione Langenus

---

[1]) Atque in ipsis Nigidii verbis verae pronuntiationis vestigium inesse videtur; nempe cum in 'Váleri' forma vocem 'gradatim' descendere vellet, nonne huc confugit certi in altera syllaba tenoris quasi sensus quidam?

[2]) Praeterea id inepta Pompeii ratione confirmatur, qui cum hunc accentum improbaret, ne contra regulam plura in lingua latina oxytona evaderent, tamen non 'cúias' cum similibus dicendum, sed pleniorem formam 'cuiatis' retinendam esse docuit: quod non facturus erat, si grammaticorum inventum esset accentus in ultima ponendus. Quam late autem pateat ineptum illud discernendorum vocabulorum studium, inde colligere possumus, quod ipse Priscianus, qui haud iniuria sese horum accentuum rationem 'saepissime' exponere dicat, semel (LXXXVIII^{b}) omissa sincera explicatione 'nostrâs' ad differentiam accusativi circumflecti dicit.

[3]) Paullo festinantius Bentleius de hac re iudicavit ad Andr. II, 6, 27 (458), qui cum hunc versum a Prisciano ad accentum 'illíc' probandum contra metri rationem afferri videret, 'illic' non venire ab 'illicc' per apocopam conclusit. Sed Priscianus memoriter partem versus citans sic scandi putavit 'Illíc est huíc reĭ́ capút' pro 'Íllic ést huic reí capút'. — At vero in vocabulis non compositis cum accentus vel post longioris temporis cursum facta abiectione servari videamus, non possum in animum inducere, ut recte ab artis metricae principibus statui credam apud comicos, si ultima verbi vocalis elidatur, migrare posse accentum. Nam etiam ipsa elisionis natura obstare videtur, per quam vocales non tam evanuisse quam coaluisse recte statuitur. Iniuria autem L. Muellerus (de re metr. p. 207) dixit eis, qui accentum in elisione retrahi statuerent, primum naturam elisionis 'anquirendam fuisse'; hanc enim et Hermannus El. d. m. p. 65 et Ritschelius eodem modo definiunt.

probavit diss. inaug. p. 32 sqq. assentiente Christio l. s. s. p. 185.

Sed quoniam modo de encliticis abiectis monui, statim adiungam quae praeterea ad has voculas pertinent.

Etenim cum grammatici tradant particulas encliticas 'que', 've', 'ce', 'ne', si adiungantur vocibus 'verbi antecedentis, longius positum fastigium adducere', Langenus diss. inaug. p. 22 sqq., Philol. l. s. s. p. 109 ex usu et scaenicorum et Vergilii ea qua solet cura et sollertia observato id non valere contendit, nisi aut longa syllaba evaderet cui adnecterentur, aut complures syllabae correptae essent: itaque 'tantóne', 'doctúsque', 'huiúsce', 'illóve', 'lumináque', sed 'músăque', 'plérăque' proferendum esse dixit[1]. Contra Corssenus defendendum esse putavit, quod summo grammaticorum traderetur consensu. At equidem ut amplectar Langeni sententiam, non modo metricis rationibus adducor, sed etiam ipsis grammaticorum testimoniis. Nam quem antiquissimum de hac re testem habemus, Varro apud Martianum Capellam (XCI[a] cf. p. 6 sq.) duo affert attractionis exempla 'Latiúmque' et 'stimulóve', nec magis ex Diomede, quem in hac re ex antiquiore fonte hausisse ipsum dicendi genus prodit, suspectae illae coniunctiones probantur (XCI[b]): 'item coniunctio complexiva sive copulativa 'que' et disiunctiva 've' et relativa 'ne' adiunctae verbis et ipsae amittunt fastigium et verbi antecedentis longius positum acumen adducunt ac iuxta se proxime conlocant, sic 'que', ut 'lumináque laurúsque dei', item 've', ut 'Hyrcanísve Arabísve parant' et 'calathísve Minervae', 'ne', ut 'hominésne feraéne'. Hi cum non nisi ea exempla afferant, de quibus non dubitatur, Probus (CLXIII[c]) se 'tántane' pronuntiasse prodit his verbis: 'ne, si gravem accentum habeat, erit coniunctio, ut puta 'tantane vos

[1]) Probarunt Langeni sententiam et Christius l. s. s. p. 181 et L. Muellerus de re metr. p. 373. Idem vero olim sensit auctor famosi illius libelli 'Critica vannus in inanes I. C. Pavonis paleas' Amstelodami editi a. 1773 p. 332: 'minime credibile est Latine 'altaque' et 'liminaque' eodem modo prolata fuisse; sed modum diversum accentu expresso Latini grammatici non indicaverunt'.

generis tenuit fiducia nostri'. Iam ne Pompeii quidem loquacitas (XCI[f]) neglegenda est, qui ex positione fortasse aliquem accentum in 'doctúsque' derivaturum esse suspicatur. Aperte autem idem Priscianus probat (XCII), qui cum in 'utérque utráque utrúmque', 'plerúsque pleráque plerúmque' feminina non nisi ad masculini et neutrius similitudinem accentum in brevi paenultima habere dicat, nonne ipse significat hoc posteriore tempore ex analogia irrepsisse? Itaque Corssenus, ut ne quid concederet metricis rationibus, minus respicere voluit explicationem historicam quam ipsi veteres grammatici[1]).

Iam vero accedimus ad praeceptum, quo ex omnibus distinctionibus nullum magis tritum et ad fastidium usque repetitum est: 'pone' adverbium, ne verbum putetur imperativi modi, in ultima acutum habere, item 'ergo' coniunctionem circumflecti in ultima, si 'causa' significet. Haec tam absurda omnibus visa sunt, ut nullus eorum defensor exstiterit[2]); quin etiam hoc loco Pompeius (LXXX[c]) effutit contra usum hoc praeceptum statui. Quam recte autem Ritschelius Proleg. p. CCXX adn. 2 talia ad scripti tantum accentus supervacaneum artificium spectare iudicaverit, locus in scholiis Vergilianis demonstrat (LXXXIX[i]), ubi 'pone' verbum — nullum habere accentum dicitur. Sed si quaerimus, quomodo ad tam singularem ac perversam doctrinam pervenerint grammatici, in 'ergo' simplicissima est ratio. Nam consideranti Pauli excerptum (LXXXIX[b]) dubium esse non potest, quin principio apex ad indicandam 'o' vocalis productionem additus sit, quam et poetarum usu et grammaticorum doctrina obtinuisse O. Muellerus ad h. l. indicavit[3]). Alia res est in 'pone' adverbio. Proficiscendum est a Festi testimonio

---

[1]) Quod Corssenus voculationem illam 'ex ipsa natura merae tenorum coniunctionis' probari dixit II[2] p. 835 adn.: 'diese durch die einstimmigen Aussagen der Grammatiker und durch die Natur der blossen Tonverbindung erwiesene Betonung', id quo referam non habeo, nisi ad accentus 'mysteria'.

[2]) Sane H. Ebelius (cf. p. 52) talibus 'oenús' accentum probari opinatur.

[3]) Cf. Langeni diss. inaug. p. 37; idem Diomedes indicat (CXL; cf. p. 37).

(LXXXIX[a]), quod vereor an recte interpretatus sit Christius l. s. s. p. 183[1]). Is enim non nisi verba 'pone gravi sono antiqui utebantur pro loci significatione' exhibens Verrium Flaccum, cum simpliciter 'gravi sono' diceret, nondum cognovisse censuit illam rationem, qua alii praepositiones in fine habere acutum, deinde in gravem mutari praeciperent. At haec secuntur apud Festum: 'sed praeiicientes vocabuli......'; quare etsi ἅπαξ λεγόμενον 'praeicientes' esse verum est (v. Mueller. ad h. l.), tamen dubium esse vix potest, quin scribendum sit 'sed praeicientes vocabulis', ut 'pone' si casibus adiungatur, mutare accentum in eis quae perierunt olim scriptum exstiterit. Quapropter 'gravi sono' hoc loco non de gravanda syllaba, sed potius de voce magno cum pondere proferenda dictum est (cf. CXVI[a] adn.). Itaque tantum abest ut ad noviciorum ineptias spectetur — id quod Muellerus putavit —, ut potius 'pone' imperativi nulla ratio habeatur. Haec autem interpretatio Probi loco confirmatur (LXXXIX[f]), qui item de 'pone' et praepositione et adverbio loquitur (nam 'verbo' quod ante Keilium editiones praebebant, nullam auctoritatem habet). Iam vero nescio quis postea excogitavit sic etiam ab imperativo 'pone' discerni vocem: quod vel maxime placuisse videtur grammaticis. Apud Priscianum autem (ex Censorino) etiam 'sine' praepositionis cum imperativo similitudo infertur (CLII[d]); quod si apud eos grammaticos exstitisset, quos posteriorum plerique unice secuti sunt, sine dubio eadem constantia repetitum esset qua illud de 'pone' praeceptum.

Casu igitur factum est ut 'pone' ab ea doctrina seiungeretur, qua praepositiones gravari, adverbia acui contendebant. In ipsa autem hac doctrina paullatim longius progressos esse grammaticos dudum viri docti intellexerunt; velut Christius

---

[1]) O. Muellerus primo Festum significare putavit 'pone' nunquam de tempore positum esse ('pro loci significatione'), deinde (cf. suppl. adnot.) eum ab antiquo usu distinxisse noviciorum grammaticorum inventum, qui 'pone' adverbium acuto accentu, verbum gravi notare voluissent, ut Servius ad Aen. III, 3 (LXXXIX[i]). Sed infeliciter Muellerus illud potissimum testimonium elegit, quod omnium ineptissimum est ac ne a Servio quidem ipso profectum, sed ab interpolatore illatum esse scholio ad Aen. II, 725 (LXXXIX[h]) aliisque rationibus comprobatur.

eum, quem Diomedes sequeretur[1]), 'quibusdam' tantum praepositionibus[2]) acutum in ultima tribuere vidit (CXL), Corssenus autem II² p. 803 Martianum Capellam[3]) animadvertit accentum non tribuere ultimae, sed abiudicare a paenultima (CXLVII). Item Quintilianus (CXLIII) reiecit accentus in ultima positi artificium et praepositionem cum insequenti vocabulo tanquam unum enuntiari docuit. Quare omnes fere, qui nostra aetate hanc rem attigerunt, eandem rationem amplexi sunt: nisi quod unus L. Muellerus de re metr. p. 372 eam reiecit, 'dactylicorum usu non confirmari' dicens, qui semper ut divisis omnino vocabulis uterentur praepositione et nomine finitimis. Bene hoc loco omisit Muellerus id fortasse ideo instituisse poetas, 'ut nos ex terrena faece in puriorem tamquam aethera collocarent' (cf. p. 24): neque tamen rationem eius perspicio. Nam etsi iure suo ibid. p. 75 Quintilianum artis metricae satis peritum fuisse negat, tamen quod ad pronuntiationem attinet non video quem probiorem testem habere possimus: qui si affirmat in Vergiliano illo 'circumlítora' pronuntiari, inde colligimus veteres versus non ita recitasse, ut iam non modo 'pueri faciunt in scholis' (Bentleius de metr. Ter. p. XIX), sed etiam doctissimi quidam metrici iubent (cf. p. 26), verum ita numeros pronuntiando expressisse, ut sensum naturalemque verborum rationem non neglegerent. Quid vero dactylicorum quem dicit usus valet, si tot titulorum exempla respicias, quin etiam librorum manu

---

[1]) Num forte Iulium Romanum? nam Palaemonem aliter statuisse ex Charisio compertum habemus (CXLI^{a-c}). Ceterum in universum talia, quae ad scriptum accentum pertinent, ad Probum maxime Berytium redire certa monstrant vestigia.

[2]) Primo in ultima accentum constitutum esse 'propter quaedam vocum discrimina', velut 'circum' ne 'circuitum' significet, etiam Quintilianus indicat; quare non inutile erit Acronis qui dicitur scholion ad Hor. serm. I, 6, 113 (II p. 124 Hauth.) excitare, quod re vera interdum de his significationibus dubitatum esse testatur. 'Fallacem circum vespertinumque pererro Saepe forum] 'circum'. multi enim volunt nomen esse, nonnulli praepositionem (!). nam si nomen sit eum locum circi videtur significare, in quo furtivae res distrahuntur'.

[3]) Etiam hoc Martianum ex Varrone hausisse, etsi satis probabile est, tamen certis indiciis demonstrari nequit.

scriptorum, quibus coniunctim perhibetur praepositio cum nomine posita[1])? Itaque in universum scitissime Quintilianum de praepositionibus latinis iudicasse puto: quin idem valere de graecis persuasum habeo. Nam etiam Alexandrini, cum praepositionibus cum casibus iunctis gravem accentum in ultima imponerent, nihil indicare voluerunt, nisi tanquam unum enuntiandam esse locutionem. Id Graecos secutus digito monstrat Priscianus (CLII[a]): 'cum a n n e c t i t u r semper praepositio sequenti dictioni et q u a s i u n a p a r s c u m e a e f f e r t u r, quamvis per appositionem proferatur, u n d e e t a c u t u m i n g r a v e m c o n v e r t i t'. Nam reapse praepositiones disyllabas in ultima acuto nunquam elatas esse duae potissimum rationes probant. Ac primum quidem ubi quaedam vis praepositionibus inest, ut retineant accentum, ipsi grammatici priori syllabae tenorem applicant — per 'anastrophen'; tum vero ultima earum vocalis saepissime eliditur, quod in syllabis accentu praeditis summopere suspitionem movet. Accedit quod provehi accentum in lingua graeca non maiorem probabilitatem habet quam in latina; ex lingua autem sanscrita comperimus vetustissimo aevo priorem acutam fuisse. Et quam facile nulla verae pronuntiationis ratione habita talia statuere potuerint grammatici, luculentissime ex ea ratione perspicitur, qua de praepositionum 'anastrophe' quam putant disputaverunt[2]). De hac igitur cum ne inter Graecos quidem satis constaret, quid mirum quod etiam Latini in diversas partes discesserunt (CL—CLII)? Itaque Servius quia corrupta sit praepositio postposita, contra morem latinum in ultima acutum poni contendit, alii vero, Priscianus praecipue, eam quae apud Graecos volgo obtinuit rationem amplectuntur. Sed omnino talia generatim definiri non posse puto; nam prout sensus postulat, modo intenditur accentus praepositionum modo adimitur.

---

[1]) Cf. 'apstirpe' Trin. 217 (B cod.) et similia, qualia nuper composuit H. A. Koch Philol. t. XXXIII p. 706, pridem Ritschelius composuerat Leg. Rubr. p. 4, item Pr. Lat. Mon. enarr. p. 120 sq.

[2]) Id accuratissime Lehrsius exposuit in Quaest. ep. diss. II, cap. II p. 68—100. Corssenus II² p. 874 sq. nec Graecorum nec Latinorum in hac doctrina dissensiones respexit.

Idem autem pertinet ad 'ut' coniunctionis varium usum. Nam sicut Alexandrini ὥς particulam pro variis usus generibus, quae tamen omnia ad unam eandemque notionem redeunt, modo nullo modo acuto gravique modo flexo accentu instruxerunt, ita Latini quoque talem differentiam[1]) statuerunt (CLXII^{a-d}). Quam vaga autem et incerta ratione tale praeceptum nitatur, illud ipsum quod in medio collocant Ciceronis exemplum indicare potest: 'ut sustinuit, immo vero ut contempsit'. Nam prius 'ut' revera intendi debet, sed alterum prae 'contempsit' verbi gravitate neglegitur, eodem sensu vario accentu[2]). Quare haec omnia ad rhetoricam pertinent, non ad grammaticam.

De 'ne' coniunctione (CLXIII^{a-f}) idem statuendum esse non est quod dicam. In pronominibus autem personalibus (CXXV^{a-g}) de hac ratione iam inter omnes constat et veteres et recentiores grammaticos, postquam diu reiectus est Bentleii error[3]), qui ea etiam in lingua latina enclitica esse putaret.

Sed qui in his pronominibus ex singulorum locorum condicione, qui adhibendus esset accentus, legentibus reliquerunt, eidem in aliis Graecorum rationem imitati certius aliquid definire studuerunt, nec sine quodam ut mihi videtur litterarum detrimento. Pronomina dico interrogativa, relativa, indefinita, quae ex diverso usu et variis istis nominibus et vario accentu instruxerunt (CXXX—CXXXVIII). Atque inter-

---

[1]) Quin etiam brevi vocali circumflexum non modo Cledonius tribuit auctor in his rebus ineptissimus, sed etiam Servius, cum extendi 'ut', quando 'quemadmodum' significet, praescribat.

[2]) Nimium igitur Lachmannus ad Lucr. III, 954 p. 197 tali praecepto tribuisse videtur, cum vel ad criticam in poetis factitandam aliquid valere putaret.

[3]) Ad Andr. IV, 1, 37; V, 3, 10; cf. Ritschelius proleg. p. CCXIX. Ut vero Lehrsius in oppositionibus quaerendis, e quibus acutum accentum his pronominibus tribuerent, grammaticos graecos nonnunquam putidae diligentiae se dedisse et usum multo liberiorem servili legi adstrinxisse probe perspexit, sic etiam Donatum nonnunquam apud Terentium his pronominibus non modo metro, verum etiam sensu repugnante acutum sonum vindicasse videmus. Ceterum vix commemorandum est Bentleii de horum pronominum enclisi errorem nuper renovatum esse l. s. s. p. 55 adn. 3.

rogativa quidem acuto, indefinita ‘interrogativis contraria’ gravi proferri docent, relativa vero per se acui, in lectione autem gravari. Iam Priscianus, qui prae ceteris hanc doctrinam illustrat, alio loco (CXXXIII) ‘qui’, quando pro interrogativo vel infinito ponatur, circumflecti, quando pro relativo, gravari praecipit. Corssenus quidem II² p. 871 adn. ‘vel infinito’ et ‘vel infinita’ in eis, quae secuntur, delenda ducit; sed non animadvertit de re singulari agi: nam cum ‘qui’ proprie relativum esse putarent, quod tamen etiam pro interrogativo et infinito usu venire viderent, non abhorrebat ab eorum ratione, ut hunc tanquam metaplasmum vario accentu distinguerent[1]).

Iam Neuius ‘Lat. Formenl.’ t. II p. 158 Prisciani praeceptum vituperat ac potius interrogativa et relativa acuto accentu efferri, indefinita gravari censet. Mihi autem Neuii sententia non propius ad veritatem accedere videtur quam Prisciani. Neque enim indefinita semper gravari, etsi id plerumque fit, nec semper acui interrogativa nedum relativa contendo; interrogativa autem etsi saepius acui concedendum est, tamen falsum esse puto ab eis divelli, quin etiam eis opponi indefinita: nam interrogativa ipsa sunt indefinita, quippe quae ideo in quaestionibus adhibeantur, ut is ex quo quaerimus definiat nobis, quod incertum est. Itaque ipsa pronominis notione non nisi incerta vel res vel persona ostenditur, interrogationis significatio per orationis tenorem exprimitur. Pronuntiatio autem non solum pronominum, sed omnium fere vocabulorum quodam modo immutatur acriusque intenditur in interrogationibus[2]), ut naturae non sit consentaneum ex

---

[1]) Itaque Hertzium hanc dissensionem quae videtur Prisciano recte reliquisse puto, praesertim cum etiam aliis locis non satis sibi constet grammaticus diversos secutus auctores. — Neque illud neglegendum est, Donatum (CXXXVI^{b}), quem ipsum Priscianus saepius commemorat, ‘quid’ cum ‘aliquid’ significet acuere.

[2]) Si dicitur ‘quid ais?’ ‘ais’ vel magis tenore immutatur quam ‘quid’; idem valet de ‘hócine num verum est?’ ubi si quis de ‘hoc’ interrogativo definito vel demonstrativo loqueretur, ridiculus esset. Neque tamen id alia ratione a ‘quid’ interrogativo (indefinito) differret, quam quod non longioris temporis prava consuetudine quasi sanctum

hac re propriam quandam pronominum speciem insignire. Quid? quod in eum errorem haud pauci inducti sunt, ut indefinita, quippe quae imminuta quodam modo esse viderentur, ex interrogativis derivarent[1]). Quare illam appellationem abiciendam esse censeo, ad quam nescio an nunquam deventuri fuissent grammatici nostrates, nisi veteres ipsi pravo studio has significationes diverso accentu distinxissent.

Cum hac autem doctrina etiam aliud praeceptum cohaerere videtur. Etenim cum Priscianus (CLIII[d]) doceat 'mécum' 'sécum' 'vobíscum', e contrario autem 'quocúm' 'quacúm' 'quibuscúm' cet. proferendum esse, Langenus (diss. inaug. p. 28 sq.) Prisciani aetate re vera 'quo cum' cet. separatim et scripta et pronuntiata esse contendit, saepissime etiam 'cum quo' 'cum quibus' usu venire adiciens[2]). Hanc sententiam et Hertzius probavit ad Prisc. XIIII, 47 neque aliter iudicavit Christius[3]) l. s. s. p. 183; nuper autem Greefius Philol.

---

esset. Iam si dico 'quid tu dicis?', num magis intenditur in pronomine vox, quam si profertur 'si quid dicis'? Quare haec, ut dixi, ad rhetoricam pertinent (cf. CXXX).

[1]) Sic — ut unum commemorem e multis — Lehrsius (Quaest. ep. p. 129) 'sunt enim' ait 'interrogativa, quae ubi indefinita significatione ponuntur enclitica fiunt'; etsi paulo ante (p. 108) probiorem Apollonii Dyscoli (synt. 135, 5) citat sententiam: τις in interrogatione sedem principalem postulans fieri orthotonumenon. Cf. etiam Langeni diss. inaug. p. 16. Corssenus vero satis mire 'relativa indefinita' usurpat II[2] p. 877: 'während es (das Infinitum) doch seinem Wesen nach lediglich ein unbestimmtes Relativum ist'; qui 'relativa definita' nescio ex quanam philosophia perceperit. — Cur in pronominibus indefinitis varia nomina adhibeantur, cum in demonstrativis (definitis) eodem nomine varius usus denotetur, non liquet satisque fit incommode.

[2]) Praeterea hanc sententiam confirmare studuit alio Prisciani loco (CLIII[a]), ubi inter 'te propter' et 'quibuscum' ad explicandam 'mecum' formam allata prorsus nulla fieret distinctio; sed illo loco ne 'me cum' quidem et 'cum me', quod vetustiores adhibuisse affirmat, separantur a 'te propter' et 'quibuscum', ut non intellegam hoc quid probare possit.

[3]) Is cum impugnaret Langenum, non respexisse videtur eum alio loco de his locutionibus ac de praepositionum anastrophe agere; dicit enim Langenum interdum nimis diffidere grammaticis, deinde haec addit: 'denn da Prisc. II, 51 die enclitische Natur von cum nur bei

t. XXXII (1873) p. 711—724 accuratissima disputatione ex satis ampla exemplorum collectione effecit apud antiquiores scriptores et postponi praepositionem cum relativo coniunctam et anteponi, quamquam illud saepius usu veniat; at inde a Cornelio Nepote ac Livio constanter fere postpositionem respui. Quae scriptorum differentia cum satis memorabilis sit nec facilis expeditu, nescio an in hac re grammaticorum auctoritas valuerit, praesertim cum 'quibuscum' cet. pro compositis volgo accepta fuisse ex nonnullis vestigiis appareat (cf. Greef. l. s. s. p. 723). Inter Alexandrinos[1]) enim certum erat et stabilitum non componi inter se encliticas (cf. Lehrs. Quaest. ep. p. 132 sqq.), ita ut πώποτε — quod apud Homerum πω ποτε scribebant distractis vocibus — in attico sermone tanquam unum exemplum notarent encliticae compositae (cf. Lehrs. p. 129). Iam igitur quoniam et 'cum' praepositionem amittere fastigium docebant et relativa in lectione gravari, harum vocum coniunctionem reiecisse videntur; quae cum componerentur, definiendum erat utri proprium sonum redderent: itaque 'cum' praepositionem praetulisse videntur, quia plerumque praepositiones postpositas acuto tenore proferri iuberent. Quanquam haec coniectura quam incerta sit, minime me fugit.

Denique his subiungam simile praeceptum de vocum 'deinde' 'exinde' 'proinde' accentu[2]). In his contra rationem primam acui Corssenus II^2 p. 843 cum grammaticis nonnullis indubitanter statuit. Atqui admodum dubia res est: nam Donatus, Diomedes, alii nihil docent nisi sub uno accentu tanquam composita haec adverbia enuntiari debere; postea

---

mécum técum sécum, nicht aber auch bei quacum quocum quibuscum anerkennt, so ward er doch offenbar nicht zu dieser Unterscheidung durch griechische Theorieen, sondern durch eine wirklich verschiedene Betonung jener Worte zu seiner Zeit bewogen'.

[1]) Verbo moneo in Alexandrinorum de encliticis praeceptis permulta inesse quaesitae subtilitatis et putidae diligentiae, a vera pronuntiandi ratione remotissima.

[2]) De 'siquando', 'nequando' (CXXXIX) cf. p. 58, ubi quomodo accipiam encliticam 'quando' vocis naturam, ex qua Langenus aliique hunc accentum repetunt, significatum est.

imprimis Priscianus praescripsit 'éxinde' cet. proferendum esse, 'ne praepositio separatim adverbiis addita esse videretur contra artem'. At nihilo minus erraret, qui recens hoc esse inventum putaret. Probus enim Berytius apud Gellium (CLV) 'exádversum' exprimendum esse dixerat, 'quoniam una, non duae essent partes orationis'[1]). Sed ex Gellii verbis luce clarius apparet contra usum communem Probum hunc accentum posuisse; itaque etiam 'déinde' 'éxinde' 'próinde' eo certius removebimus, quod Servius (CLVIII[d]) in 'déinde' vel barbarismum deprehendit. In his autem omnibus illud tenendum est, si unus testis dicat quod rei consentaneum sit, id plus probare, quam vel unanimum ceterorum omnium consensum.

Sed hic iam subsistendum erit; nam de eis quae nondum attigi praeceptis nihil habeo quod aut veterum grammaticorum doctrinae aut nostratium philologorum commentationibus adiciam. Itaque ut et commendem quae conscripsi virorum doctorum aequo iudicio bonaeque veniae et me excusem si quid minus recte administraverim, illud repetere liceat quod inscripsi, cum publici certaminis periculum subirem: quicquid est eo decet uti, et quicquid agas agere pro viribus.

---

[1]) Iam de 'exinde' cet. cum primus Servius Vergilii interpres (CLVIII[c]) idem doceat, totam hanc doctrinam non improbabile est ad Probum redire, cum ab hoc multa esse in commentario illo desumpta certum sit.

DE ACCENTU LINGUAE LATINAE

VETERUM GRAMMATICORUM TESTIMONIA

PRAEMONENDA

Multum et diu dubitavi, utrum omnia quae collegi testimonia typis exprimenda curarem an potiora tantum eligerem. Attamen ut quam plenissimum doctrinae veterum quasi cursum proponerem, non nisi ea omisi exscribere, quae ne in exprimendis quidem enarrandisve praeceptis novi aliquid afferrent; perspicuitati vero et commoditati ita inservire studui, ut et maioribus graviora typis exhiberem et litterulis numeris adiectis, non novis numeris denotarem testimonia inter se similia. Grammaticorum verba ubi certa ratione ad antiquiorem auctorem revocari poterant, huius nomen praescripsi; neque tamen liberiori coniciendi licentiae in hac re indulgendum esse putavi. Ceterum cum in lingua latina vel maxime sese attingant accentus rationes et quantitatis, equidem ex eius modi praeceptis ea selegi, quae aut in commentationibus de accentu exstarent aut adhibitis accentuum nominibus indicata essent; nam aliter verendum erat ne molesta materia onerarem potius collectionem quam locupletarem.

CAPUT I.

Accentus quid sit et quo pertineat.

Varro apud Augustinum de dial. V (Varr. frg. de l. l. I, 1 p. 141 Wilmanns.). I

Verbum est uniuscuiusque rei signum quod ab audiente possit intellegi a loquente prolatum. res est quicquid vel sentitur vel intellegitur vel latet. signum est quod et se ipsum sensui et praeter se aliquid animo ostendit. loqui est articulata voce signum dare. articulatam autem dico quae comprehendi litteris potest. omne verbum sonat. cum enim est in scripto non verbum sed verbi signum est . . . . . sed quod sonat nihil ad dialecticam. de sono enim verbi agitur cum quaeritur vel animadvertitur qualiter vocalium vel dispositione leniatur vel concursione dehiscat, item consonantium vel interpositione nodetur vel congestione asperetur et quot vel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solarum aurium tractantur negotia.

Varro apud [Sergium] de acc. p. 525, 24 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 55 p. 181 W.). IIa

Scire autem oportet vocem sicut omne corpus tres habere distantias: longitudinem altitudinem crassitudinem. longitudinem tempore ac syllabis metimur; nam et quantum morae[1]) enuntiandis verbis teratur et quanto numero modoque syllabarum unumquodque sit verbum, plurimum refert. ab altitudine[2]) discernit accentus cum pars verbi aut in grave de-

---

[1]) *quantum morae* Wilm. *quantum ore* LO. *quantum temporis ore* Endl. *quantum temporis* Keil.

[2]) *ab altitudine* LO. *at altitudinem* Endl. *altitudinem* Wilm. Keil. sed cf. in eodem libello (p. 526, 25 K.): *quae omnia ut a graeca declinatione mutata non sunt, ita a graeco tono corrumpi non debent.*

primitur aut sublimatur in acutum. crassitudo autem in spiritu est, unde etiam Graeci adspirationem appellant δαcεîαν et ψιλήν[1]); nam omnes voces aut aspirando facimus pinguiores aut sine aspiratu pronuntiando tenuiores.

II[b] Vitruvius de archit. V, 3, 6; 7.

Vox autem est spiritus fluens aeris, tactu sensibilis auditu . . . . . . vox et in latitudine progreditur et altitudinem gradatim scandit.

II[c] Priscianus I, 4 p. 6, 17 H.

Nam si aer corpus est et vox quae ex aere icto constat corpus esse ostenditur, quippe cum et tangit aurem et tripertito dividitur quod est suum corporis, hoc est in altitudinem, latitudinem, longitudinem, unde ex omni quoque parte potest audiri. praeterea tamen singulae syllabae altitudinem quidem habent in tenore, crassitudinem vero vel latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore.

II[d] [Priscianus] de acc. 1; 2 p. 519, 1 K.

Littera est nota elementi, quae cum scribitur et in voce minima resonat nihil aliud quam nota ad informandum elementum esse reperitur. sed cum ex sono in vocem prorumpitur, elementi vocabulum concipit, quod dum ratio ita sese habeat, quasi imago huius rei esse videtur, quippe cum ex aere percusso ictu linguae constat, unde vox formatur. Vox namque corpus esse ostenditur; nam et si corpus non esset, auditus aurium minime vi percuteretur. sed cum tangit auditum et reverberat elementum, tripertito dividitur, altitudine scilicet, latitudine, longitudine. habet quippe littera altitudinem in pronuntiatione, latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore, hoc est et alte et late et longe auditur.

II[e] Cod. Bern. 207 (saec. 9—10) Donati scripta continens post verba *syllaba apud metricos semipes nominatur* (p. 369, 15 K.) haec inseruit (Anecd. Helvet. p. XVIII H.):

Accedunt unicuique sillabae tenor spiritus tempus et numerus litterarum. Tenor acutus gravis vel circumflexus in dicione certus absque ea incertus non potest tamen sine eo . . . . . Habet etiam unaquaeque sillaba altitudinem, latitudinem et longitudinem. Altitudinem in tenore, crassitudinem vel latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore.

---

[1]) δαcεîαν et ψιλήν Keilius in adn. proposuit, nec tamen recepit; minus apte Wilm. ex A. Zippmanni coniectura πνεῦμα δαcύ scripsit; nam et aspirationis et levigationis significationem proxima flagitant.

Varro apud [Sergium] de acc. p. 525, 18 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 59 p. 186 W.). III

In accentu materia locus et natura prosodiae brevissime comprehensa sunt. nam materia esse ostenditur vox et ea quidem qua verba possunt sonare, id est scriptilis. locus autem syllaba quoniam haec propria verbi pars est, quae recipit accentum. natura vero prosodiae in eo est quod aut sursum est aut deorsum; nam in vocis altitudine omnino spectatur adeo ut, si omnes syllabae pari fastigio vocis enuntientur, prosodia sit nulla.

Martianus Cap. III p. 64, 29 Eyss. IV

Syllaba igitur dicta est quod iunctis litteris sonitum simul accipientibus informetur, cuius ut dixi tres partes esse non dubium est: de iunctura de fastigio [aut] de longitudinibus.

Beda de metr. rat. p. 2351 P. V

Syllaba est comprehensio litterarum vel unius vocalis enuntiatio temporum capax, quia omnis syllaba aut brevis est et temporis recipit unum, quod atomum metrici vocant, ut *pater*, aut longa est et duo recipit tempora, ut *mater*; hic enim *ma*, cum dicitur *mater*, longitudine sui circumflexus tantum temporis occupat, quantum *pa ter* simul[1]), cum acute dicitur *pater*.

Varro (?) apud [Sergium] de acc. p. 533, 1 K. (Varr. frg. p. 189 adn. W.). VI

Nobis de accentu dicturis non longitudo tractanda est, verum altitudo[2]), quae tamen liquido cognosci non pôtest, nisi longi-

---

[1]) *pa ter simul* scripsi pro eo quod Putschius exhibet: *pa*, *semel*.

[2]) Locum desperatum dedi, ut Wilmannsius proposuit. *nobis de accentu longi | ridȍ tractandum ÷ ü̇c altitudo q:. tamen* L. *nobis de accentu longi ritu tractandum est. llae alititudo quae tamen* O. Keilius adscitis eis, quae proxime antecedunt apud Sergium (v. XX adn.) haec habet: *Non secus, atque in litteris evenit, nobis de accentu tractandum est * altitudo, quae tamen*, sicut in litteris ita in accentu tractando et longitudinem et altitudinem quaerendam esse, accentus autem propriam esse altitudinem docuisse grammaticum existimans. Sed in hanc sententiam minus quadrant verba: *quae tamen — habeatur*; excidisse potius videtur locus de accentibus, quos praeter acutum, gravem, circumflexum vulgo enumerant, adiectis notis nominibusque graecis, ut inde orta sit turbatio.

tudinis quoque ratio habeatur; in eius enim aliqua parte esse debet id quod altissimum est. Denique cum verbum enuntietur aliqua in eo syllaba necesse est summum illud vocis fastigium possideat, sed quae potissimum sit, ea monstrari non potest, nisi per temporum syllabarumve naturam[1]), quae proprie longitudinis est. Quapropter etsi metricis videtur [syllabarum naturam] ad rhythmicos solos pertinere temporum denumerare intervalla, tamen quia titulus propositi utramque flagitat cognitionem, ne quid quod ad discendos accentus pertinet, deesse videatur, de verbi longitudine dicendum est ea sola attingentes, quae operi necessaria videbuntur.

VII Varro apud [Sergium] de acc. p. 533, 11 K. (*Longitudo — finiunt.* Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 193 W.).

Longitudo verborum duabus in rebus est: tempore et syllabis. tempus ad rhythmicos pertinet, syllabae ad metricos. inter rhythmicos et metricos dissensio nonnulla est, quod rhythmici in versu longitudinem vocis tempore metiuntur et huius mensurae modulum faciunt tempus brevissimum in quo cum quae syllaba enuntiata sit, brevem vocari. metrici autem versuum mensuram syllabis comprehendunt et huius modulum syllabam brevem arbitrantur, tempus autem brevissimum intellegi quod enuntiationem brevissimae syllabae cohaerens adaequaverit. itaque rhythmici temporibus syllabas, metrici tempora syllabis finiunt; (neque[2]) enim refert tempus in syllaba esse an in tempore syllabam dicamus, dummodo discendi causa concessum est eam moram, qua brevis syllaba dicitur, unum et brevissimum tempus vocare; qua vero longa

---

[1]) *syllabarumve naturam* scripsi pro *numerum*; nam ad huius loci emendationem pertinere puto verba, quae post *videtur* in cod. exstant, a Keilio recte uncis inclusa; nihil enim numerus syllabarum ad rem facit, sed spectatur mediae syllabae natura, ex qua pendeat accentus; v. proximam paragraphum, quae eodem spectat. Wilmannsius post *videtur syllabarum naturam* lacunam statuit; sed nihil omnino desideratur.

[2]) Uncis rotundis eadem ratione usus sum, qua Hertzius in Prisciano suo, ad secludenda ea quae ex libelli condicione pro certa interpolatione habere non possis.

profertur, duo tempora appellare ipsa cogit natura cum loquimur. brevem μονόχρονον longam δίχρονον. appellamus.) duo enim longa syllaba habet tempora: positionis et naturae; brevis naturae habet tantummodo. [Terentius rhythmis scribit comoedias vel Plautus].

Victorinus de metr. et hex. p. 206, 12 K. VIII
Metrum est ratio cum modulatione, rhythmus sine ratione metrica modulatio. plerumque tamen casu quodam invenies rationem metricam in rhythmo, non artificii observatione servata, sed tono et ipsa modulatione ducente.

Cf. Beda p. 2380 P.

[Priscianus] de acc. 3; 4. p. 519, 9 K. IX
Habent etiam syllabae suum elementum, quod productio dicitur. sed inter elementum litterarum et syllabarum hoc distare videtur, quod elementa litterarum sunt ipsae pronuntiationes, syllabarum ipsae productiones. quid est enim aliud elementum, quam pars minima partium vocis articulatae? illud vero quod remanet nota vel figura elementi est. distat autem illud inter elementa et litteras, quod elementa proprie ipsae pronuntiationes dicuntur, notae autem eorum litterae. sed abusive elementa pro litteris et litterae pro elementis vocantur. nam aliud est littera quae videtur, aliud quod per eam colligitur. videntur namque litterae aut longae esse aut rotundae aut quadratae. colligitur namque per eas res gesta alicuius, dum colliguntur in syllabis, de syllabis in partibus, de partibus in orationibus. sed nos locuturi de partibus ad accentum, qui in dictionibus necessarius est, transeamus. (cuius mysterium praebente deo vitam latius tractemus).

Diomedes p. 430, 29 K. X
Accentus est acutus vel gravis vel inflexa elatio orationis vocisve intentio vel inclinatio acuto aut inflexo sono regens verba. nam ut nulla vox sine vocali est, ita sine accentu nulla est; et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut anima vocis.

Pompeius p. 126, 27 K. XI
Et quid est ipse accentus? ita definitus est: *accentus est quasi anima vocis*, id est accentus est anima verborum et anima vocis uniuscuiusque. quemadmodum corpus nostrum non potest esse sine anima, sic nec ullum verbum nec ullus sermo sine accentu potest esse. et quemadmodum anima nostra in toto corpore ipsa plus potest, sic etiam illa syllaba plus sonat in toto verbo, quae accentum habet. ergo illa syllaba,

quae accentum habet plus sonat, quasi ipsa habet maiorem potestatem.

XII Martianus Cap. III p. 65, 19 Eyss.

Et est accentus ut quidam putaverunt anima vocis et seminarium musices, quod omnis modulatio ex fastigiis vocum gravitateque componitur ideoque accentus quasi adcantus dictus est.

XIII Cod. Bern. 16 (saec. 9) Isidori tractatui cum alia inseruit tum haec (Anecd. Helv. p. XLV, 17 H.):

Accentus est anima verborum sive vox syllabae, quae in sermone plus sonat de ceteris syllabis. accentus autem a cantu vocatus est, quia in ipso cantu producitur modulatio vocis.

XIV [Sergius] de acc. p. 528, 28 K.

Accentus proprie qualitas syllabarum est, hoc est indicium tempora[1]) syllabarum naturam positionemque significans.

XV Victorinus a. gr. p. 188, 8 K.

Lectio quid est? Secundum accentus et sensuum necessitatem propria pronuntiatio . . . . . p. 188, 15 K. Accentus quid est? Uniuscuiusque syllabae pronuntiandae qualitas.

XVI Dositheus p. 8, 1 K.

Accentus est uniuscuiusque syllabae proprius sonus, quem Graeci prosodiam dicunt. accentus quasi adcantus.	Προσῳδία ἐστὶν μιᾶς ἑκατέρας συλλαβῆς ἴδιος κύριος ἦχος τόνος ὃν τῇ ἑλληνικῇ προσῳδίαν[2]) λέγουσιν καλοῦσιν. προσῳδία παρὰ τὸ προσᾴδεσθαι.

XVII M. Aurelius Cassiodorius de a. gr. frg. p. 2322 P.

Accentus est vitio carens vocis artificiosa pronuntiatio.

XVIII [Priscianus] de acc. 5. p. 519, 25 K.

Accentus namque est certa lex et regula ad elevandam et deprimendam syllabam uniuscuiusque particulae orationis, qui fit ad similitudinem elementorum, litterarum syllabarumque.

Cf. Alcuinus p. 2086 P.; Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 174).

---

[1]) Keilius *temporis* correxit; sed cf. VII: *duo enim longa syllaba habet tempora positionis et naturae.*

[2]) In cod. Sangall. cum graeca interpretatio singulis vel paucis verbis latinis subiciatur, προσῳδίαν hoc loco semel scriptum est, quod Keilius bis reposuit. Sed cum vel maxime in nominibus pro exemplo allatis modo graeca omissis latinis, modo latina omissis graecis exhibeantur (v. Keil. adn.), equidem hanc rationem sequor, ut in utriusque linguae locis ea exhibeam, cum Keilius plerumque Graeca uncis includat. Hoc semel monuisse satis erit.

CAPUT II.

Quot et quales sint accentus.

Varro apud [Sergium] de acc. p. 529, 1 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 186 W.). XIX

Quot ergo sint prosodiae dicendum est. (quae res eo maiore cum cura tractanda est, quod nostra ratio ab opinione iam inveterata et omnium ferme animis adfixa discrepat.)

Athenodorus duas esse prosodias putavit, unam inferiorem alteram superiorem; flexam autem — nam ita nostra lingua περισπωμένην vocavimus — nihil aliud esse quam has duas in una syllaba.

Dionysius autem Aristarchi discipulus cognomento Thrax domo Alexandrius, qui Rhodi docuit, lyricorum poetarum longe studiosissimus tres tradidit, quibus nunc omnes utuntur βαρεῖαν ὀξεῖαν περισπωμένην.

Tyrannion vero Amisenus, quem Lucullus Mithridatico bello captum L. Murenae concessit, a quo ille libertate simul et civitate donatus est, quattuor scribit esse prosodias: βαρεῖαν μέσην ὀξεῖαν et περισπωμένην; atqui memoriae proditum est hunc ante alios fuisse pronuntiatione potiorem, quod nequaquam assequi potuisset, nisi tenore singularum vocum diligentissime perquisito.

In eadem opinione et Varro fuit, qui in leges suas redegit adductus scientia et doctrina ea[1]), qua omnibus a se propositis evidentissimas affert probationes, ut id quoque pro media prosodia facit dicendo ipsam naturam nihil facere totum, ubi non sit medium; ut enim inter rudem et eruditum, inter calidum et frigidum, amarum et dulce, longum et breve

---

[1]) *qui in* (*quin* L) *leges suas redigit ad ductum scientia et doctrina eius* LO. *qui in leges suas redegit accentuum scientiam. doctrina eius . . . id quoque* Endl. Lentz. *quin leges suas redigit ad ductum scientiae et doctrinae eius* Weil. *qui in leges suas redegit accentuum scientiam et doctrinam; isque* Wilm. *qui in leges suas redigit accentus ductus scientia et doctrina eius qua* Keil.; idem proposuit *qui in leges eius se dedit ductus* e. q. s. Sed ad *redegit* non *accentus* suppleri posse solamque mediam spectari ex proximis apparet.

est quiddam medium, quod neutrum est, sic inter imam summamque vocem esse mediam ibique quam quaerimus prosodiam. neminem musicum esse, qui mediam vocem in cantu ignoraverit, nec quemquam potuisse dicere in sono chordarum aut [voce] tibiarum assave voce cantantium[1]) μέσην esse, si non in omni vocis natura esset medium, minimeque mirum ut in hanc multorum sensus non animadvertat, cum in illa quae in cithara aut tibia aliquanto uberior est saepe tantum non sentiant meatum[2]). praeterea minus reliquis notam primum quod ea sit principium aliarum, ut μέση in musica est initium cantionis et omnium rerum initia semper obscura sint; dein quod omne medium in angustis non videatur, ut punctum in quamvis magno orbe, quod vocant κέντρον; nullum esse corpus ubi non sit medium et omnem vocem corpus esse, omnem igitur vocem medium habere. quod enim fuit deorsum prius in medium succedere, quam evolet sursum et

---

[1]) *chordarum — cantantium*] delevi *voce*, cetera cum Wilmannsio scripsi (cf. de Varr. l. gr. p. 53 adn.). *cordarum aut uo . . ce quarum aliaue uoce cantantium* L. *cordarum aut alia uoce quarum aliaue uoce cantantium* O. *chordarum aut alia voce buccinarum assave voce cantantium* Wasius. *aut voce buccinarum aliave voce cantantium* Endl. Lentz. *in sono chordarum aut bucinarum aut voce cantantium* Keil. *assave* quod Wasii auctoritate recepit Wilmannsius, etsi adhibito codice Oxon. mera eius coniectura niti manifestum est, tamen retinendum esse putavi cl. Varrone apud Nonium p. 77, 2: *et assa voce et cum tibicine . . . unum* (i. e. *melos*) *quod est in assa voce alterum quod vocant organicon.*

[2]) *illa quae in cythara* (*chitera* corr. *chitira* L) *aut quia aliquando uberior est saepe tantum* (*tåtum* Ll) *non* LO. *quae in cithara auditur, quia aliquanto uberior est, saepe tantum* Was. Endl. Lentz. *illa quae in cithara aut ** (*bucina est*?) *quia aliquando* (*quamquam ea aliquanto*?) *uberior est, saepe totum* (*tamen*?) Keil. *illum qui in cithara aut tibia aliquanto uberior est saepe totum* Wilm. *cum illam quae — saepe totum non sentiat theatrum* Wachsmuth. Scripsi *cum in illa, quae in cithara aut tibia aliquanto uberior est saepe tantum non sentiant* (*sentiat* LO ed.). Nam sensus est: non mirum in hanc (sc. μέσην) a multis non animadverti (sc. in communi linguae usu) cum vel in instrumentis musicis, ubi facilius dignoscuntur intervalla, saepe non recte comprehendant. Ad *meatum* vocem, quam mutare voluit Wachsmuthius, cf. Terentianus Maurus v. 95: *His caeca soni vis penitus subest latetque, Ut non labiis hiscere non sonare lingua Ullumve meatum queat explicare nisus, Vocalia rictum nisi iuncta dissecarint.*

quod sursum est ante eodem venire, quam deorsum, quare utriusque compitum medium esse. et multa praeterea latius in eam rem disputata profert, quae nunc nobis longum est iterare. scire enim oportet rationis huius recens non esse commentum, sed omnium, qui ante Varronem et Tyrannionem de prosodia aliquid reliquerunt, plurimos et clarissimos quosque mediae huius fecisse mentionem, quos omnes sibi fuisse auctores Varro commemorat: grammaticos Glaucum Samium et Harmocraten Iasium; item philosophum Theophrastum, peripateticum, cui divina facundia nomen adscivit, nec non eiusdem sectae Athenodorum, summi acuminis virum, qui quandam prosodiam μονότονον appellat, quae videtur non alia esse quam media licet diverso vocabulo.

Nec desunt qui prosodias plures esse quam quattuor putaverint, ut Glaucus Samius, a quo sex prosodiae sunt sub hisce nominibus: ἀνειμένη, μέcη, ἐπιτεταμένη, κεκλαcμένη, ἀνακλωμένη, ἀντανακλωμένη[1]). sed hic quoque non dissentit a nobis, nam cuivis ex ipsis nominibus proclive est tres primas esse simplices et non alias quam βαρεῖαν μέcην ὀξεῖαν, postremos autem tres duplices et quasi species unius flexae, quae est genere una; hanc enim flecti non uno modo omnes putaverunt: Eratosthenes ex parte priore acuta in gravem posteriorem, Theodorus autem aliquando etiam ex gravi in acutiorem escendere. ceterum Varro in utramque partem moveri arbitratur, neque hoc facile fieri sine media, eamque acutam plerumque esse potius quam gravem [quod ea propior utramque est, quam illa superior et inferior inter se].

(Sed hoc de media prosodia satis, quo quis sciat esse quaerendam. ceterum qui hanc ignorant, quia sola noverunt quae in scholis studuerunt, non sunt culpandi. sed nec ma-

---

[1]) Ex vocabulorum graecorum vestigiis in codicibus corruptissimis certa ratione elicuerunt viri docti: ἀνειμένη, μέcη, ἐπιτεταμένη, κεκλαcμένη, ἀντανακλαζομένη, nisi quod ultimum ἀντανακλωμένη rectius scripsit Wilmannsius: *antanaca homenehc* (*homenech*) LO; iam cum sexta deesset prosodia cum Wasio Endlicherus Lentzius Wilmannsius νήτη scripserunt, Weilius de ἴcη cogitavit, Keilius περικεκλαcμένη proposuit. Sed inter κεκλαcμένη et ἀντανακλωμένη desideratur ἀνακλωμένη (Λ V Ν), quam suo loco reposui.

gistros qui tres solas demonstrant erroris arguerim, si modo hoc docendi causa faciunt, cum ipsos quarta non lateat. tres prosodias in usu esse scire oportet ἀνειμένην ἐπιτεταμένην et κεκλαcμένην[1]); media autem quae inter duas quasi limes est, quod gravioris quam acutioris similior est[2]) in inferioris potius quam superioris numerum relegatur. in hoc enim fere doctissimorum consensus est, acutam plus una in verbo esse non posse, graves esse complures).

XX Varro apud [Sergium] de acc. p. 532, 29 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 193 W.)

Ordo in accentibus non attenditur, verum varie nunc gravem nunc acutum nonnumquam flexum primo loco poni dubium non recipit. non tamen setius est aliquis prior natura, quam alius, non secus atque in litteris evenit.[3])

XXI Varro apud [Sergium] de acc. p. 531, 23 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 191 W.).

Acuta exilior et brevior et omni modo minor est quam gravis, ut est facile ex musica cognoscere, cuius imago prosodia; nam et in cithara omnique psalterio quo quaeque chorda acutior eo exilior, et tibia tanto est voce acutiore quanto

---

[1]) In codicibus cum scriptum sit *oportet et*, Endlicherus Lentzius Wilmannsius *et* ut dittographiam eiecerunt; Keilius post *et* lacunam statuit; ego etiam hoc loco nomina graeca reposui.

[2]) Haec verba cum aperte pugnarent cum superioribus *eamque acutam — gravem*, Wilmannsius priore loco mutavit *eamque acutae coniunctam plerumque esse potius quam gravem*, omissis autem verbis: *sed hoc de media — scire oportet* omnia Varroni tribuit. Verba *quod ea propior — inter se* et *tres prosodias in usu — esse complures* etiam Keilius ut spuria denotavit. Equidem quid sentiam exposui p. 44 sq.

tius *or*

[3]) *tamen sequus est aliquid prius natura quam alius non secus atque in litteris se venit* Ll. *tamen secus est aliquid prior natura quam aliud non secus atque in litteris se venit* O. *aliquid prius natura quam aliud* Endl. *non tamen setius est aliquis prior natura, quam alius. Non secus atque in litteris evenit nobis de accentu* Keil. (cf. VI adn. 2). Locum ita ut scripsi constituendum esse mihi et illud persuasit, quod supra mediam principium aliarum prosodiarum appellavit, et quod ex fragmentis *de antiquitate litterarum* (p. 219 W.) Varronem etiam in litteris alias aliis priores statuisse perspici potest. Quare non est cur cum Wilmannsio nil nisi verba *ordo in accentibus — dubium non recipit* Varroni tribuamus.

cavo angustiore, adeo ut corniculo aut βομβυκίῳ[1]) addito gravior reddatur, quod crassior exit in aera. brevitatem quoque acutae vocis in isdem organis animadvertere licebit, siquidem pulsu chordarum citius acuta transvolat, gravis autem diutius auribus immoratur; etiam ipsae chordae quae crassius sonant, longiores videntur, quia laxius tenduntur; item in fistula duo calami brevissimi, qui acutissimae vocis, tibiae quoque acutiores quae breviores et his foramina quam sunt ori proxima et brevioris aeris motum persentiscunt, tam vocem reddunt acutam. sic in loquentium legentiumque voce, ubi sunt prosodiae velut quaedam stamina[2]), acuta tenuior est quam gravis et brevis adeo, ut non longius quam per unam syllabam, quin immo per unum tempus protrahatur, cum gravis, quo uberior et tardior est, diutius in verbo moretur et iunctim quamvis in multis syllabis residat; quocirca graves sunt numero plures, pauciores acutae, flexae rarissimae.

Vitruvius de archit. V, 4, 2. (*ex Aristoxeni scripturis.*) XXII
Vox enim mutationibus cum flectitur alias fit acuta alias gravis duobusque modis movetur, e quibus unus effectus habet continuatos alter distantes. continuata vox neque in finitionibus consistit neque in loco ullo, efficitque terminationes non apparentes intervalla autem media apparentia, uti sermone cum dicamus *sol, lux, flos, vox.* nunc enim nec unde incipit nec ubi desinit intellegitur, nec quae ex acuta facta est gravis, ex gravi acuta apparet auribus. per distantiam autem e contrario. namque cum flectitur inmutatione vox statuit se in alicuius sonitus finitionem, deinde in alterius et id ultro citro crebre faciendo inconstans apparet sensibus, uti in cantionibus, cum flectentes vocem varietatem facimus modulationis. itaque intervallis ea cum versatur, et unde ini-

---

[1]) *bamborio* OL Keil.; *bomborio* Endl.; βομβυκίῳ Wilm. (cf. de Varr. l. gr. p. 58) comparato Arcadio p. 213 Schm.: κέρασί τισιν ἢ βόμβυξιν ὑφολμίοις; eodem loco motus Lentzius *bombycio* scripsit.

[2]) *istamina* LO. Endl. Lentz.; *stamina* Keil.; διαστήματα Wilm. Sed ad διαστήματα *velut* non quadrat, quod de imagine, non de termino technico agi indicat. Quod autem Weilius Benloewiusque p. 10 dubitant num per stamina designari possint lyrae chordae, videsis Ovid. Met. XI, 170.

tium fecit et ubi desiit, apparet in sonorum patentibus finitionibus: mediana autem latentia intervallis obscurantur.

XXIII Quintilianus inst. or. XI, 3, 17.

Utendi voce multiplex ratio. nam praeter illam differentiam, quae est tripartita, acutae gravis flexae, tum intentis tum remissis, tum elatis tum inferioribus modis opus est, spatiis quoque lentioribus aut citatioribus. sed his ipsis media interiacent multa e. q. s.

XXIV[a] Donatus p. 371, 2 K.

Toni igitur tres sunt, acutus, gravis, circumflexus.

XXIV[b] [Sergius] de acc. p. 524, 19 K.

Accentus, quem Graeci προσῳδίαν appellaverunt, triplex est. aut enim acutus est aut gravis aut inflexus in omnibus partibus orationis. Cf. XLV. Victorinus p. 192, 15 K.

XXV[a] Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 14 K.

His ita se habentibus sciendum est quod acutus et gravis et circumflexus soli sunt, qui, ut superius diximus, naturalem uniuscuiusque sermonis in voce nostra elationis[1]) servent tenorem. nam ipsi arsin thesinque moderantur, quamquam sciendum est, quod in usu non sit hodierno gravis accentus.

XXV[b] Marius Victorinus a. gr. p. 40, 15 K.

Est enim arsis sublatio pedis sine sono, thesis positio pedis cum sono. item arsis elatio temporis soni vocis, thesis depositio et quaedam contractio syllabarum.

XXV[c] Exc. de acc. (t. VI p. 274, 21 K.)

Accentus sunt tres acutus gravis et circumflexus. reliqui enim quattuor longus brevis lenis adspiratus tenores potius quam accentus dictionis sunt existimandi. nam omnis syllaba, quae aliquem e tribus superioribus sibi vindicat, utique alias ingenitam sibi habet aut longitudinem aut brevitatem aut adspirationem, quae si accentus essent, pariter duae syllabae in unum constare non possent.

XXVI[a] Servius c. in Don. p. 426, 10 K.

Omnis accentus aut acutus est aut circumflexus. acutus dicitur accentus quotiens cursim syllabam proferimus, ut *árma*;

---

[1]) Et hoc loco et p. 482, 7 K. cod. Leid., quem sequitur Putschius, *in voce nostrae elevationis* exhibet; *in vocem nostrae elationis*, quod ex libris melioribus dedit Keilius, me non intellegere confiteor.

circumflexus vero, quotiens tractim, ut *Mûsa*; nam gravis accentus in Latino sermone paene usum non habet, nisi quod vel cum acuto vel circumflexo poni potest, in his scilicet syllabis, quae supra dictos accentus non habent.

Pompeius p. 126, 4 K. XXVI^b

Accentus, qui necessarii nobis sunt duo sunt tantummodo apud Latinos: acutus et circumflexus. acutus dicitur accentus quotiens cursim syllabam proferimus, ut si dicas *árma*, *árcus*: non possumus dicere *ârma*, non possumus dicere *ârcus*. acutus ergo dicitur, quando cursim syllabam proferimus. circumflexus dicitur, quando tractim syllabam proferimus, ut *mêta, Mûsa*: non possumus dicere *méta*, non possumus dicere *Músa*. ergo circumflexum dicimus, qui tractim profertur, acutum illum, qui cursim. est etiam gravis, sed iste paene superfluus est apud Latinos. qua ratione? nec acutus nec circumflexus est, omnis sermo necesse est, ut aut acutum, habeat aut circumflexum: nullus est sermo, qui sine istis sit: si non habet acutum, circumflexum habet, si non habet circumflexum, acutum habet. et gravis ubi erit, si vel ille vel ille sibi sermonem vindicat? in reliquis ubi non est nec acutus nec circumflexus, in reliquis syllabis ipsius sermonis. ut puta *malesânus*: *sa* circumflexum habet, *ma le nus* istae tres syllabae gravem habent accentum; nam ideo dictus est gravis hac ratione, quod minus sonet, quam sonat ille legitimus. *ma le nus* numquid sic sonant omnes istae syllabae, quemadmodum sonat *sâ*? *sâ* plus sonat; ideo dictae sunt illae habere gravem accentum, quod et pigrum et minus sonent. ergo scire debes quia nullo loco gravis poni potest, quantum ad utilitatem pertinet, nisi ubi non fuerit acutus aut circumflexus, in eadem tamen parte orationis non sibi specialem vindicat partem, non habet propriam. sed hoc apud Latinos tamen *[1]. Cf. p. 127, 11 K.

Cledonius p. 31, 30 K. XXVI^c

Acutus qui cursim profertur, ut *árma*, excusso enim sono dicendum est; circumflexus qui tractim, ut *Rôma*; gravis qui pressa voce habet accentum.

Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 174). XXVI^d

Int. accentus qui ad acuendas syllabas gravandasque pertinent quot sunt? Resp. tres, acutus gravis circumflexus. ceteri non magis quam nota brevium vel longarum syllabarum, adspiratarum vel exilium indicantur. quorum nomina sunt brevis longus adspiratio exilitas. sed haec ut dixi simplicia sunt signa quae non egent

---

[1]) *apud Latinos tamen* cod.; Lindemannus, quem Keilius sequitur, *tantum* correxit; sed fortasse intercidit aliquid de Graecorum in ultimis syllabis gravi accentu: quod quamquam pro certo non affirmaverim, mutatione praecludere nolui.

disputatione. illi vero accentus, qui humilitatem vel altitudinem syllabarum ostendunt, id est acutus gravis circumflexus, plena ratione tractandi sunt.

XXVII Martianus Cap. III p. 65, 15 Eyss.

Hactenus de iuncturis. nunc de fastigio videamus. qui locus apud Graecos περὶ προσῳδιῶν appellatur. hic in tria discernitur: una quaeque enim syllaba aut gravis est aut acuta aut circumflexa. et ut nulla vox[1]) sine vocali est ita sine accentu nulla.

XXVIII Priscianus I, 5 p. 7, 6 H.

Sunt igitur figurae litterarum quibus nos utimur viginti tres, ipsae vero pronuntiationes earum multo ampliores, quippe cum singulae vocales denos inveniantur sonos habentes vel plures, ut puta *a* littera brevis quattuor habet soni differentias, cum habet aspirationem et acuitur vel gravatur, et rursus cum sine aspiratione acuitur vel gravatur, ut *hábeo hàbemus, ábeo àbimus.* longa vero eadem sex modis sonat: cum habet aspirationem et acuitur vel gravatur vel circumflectitur et rursus cum sine aspiratione acuitur vel gravatur vel circumflectitur, ut *hámis hàmorum hâmus, árae àrarum âra.* similiter aliae vocales possunt proferri.

XXIX[a] Isidorus etym. I, 17, 2; 3.

Accentus autem dictus quod iuxta cantum sit, sicut adverbium, quod iuxta verbum est. acutus accentus dictus, quod acuat et erigat syllabam; gravis, quod deprimat et deponat: est enim contrarius acuto. circumflexus[2]), quia de acuto et gravi constat: incipiens enim ab acuto in gravem desinit atque ita dum ascendit et descendit, circumflexus efficitur. acutus autem et circumflexus similes sunt, nam uterque levat syllabam. gravis contrarius videtur ambobus, nam semper deprimit syllabas, cum illi levent, ut *Unde venit Titan et nox ubi sidera condit*: *unde* hic gravis est, minus enim sonat, quam acutus et circumflexus.

Cf. Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 174).

XXIX[b] [Priscianus] de acc. 5 p. 519, 27 K.

Accentus . . . etiam tripertito dividitur, acuto gravi circumflexo. acutus namque accentus ideo inventus est quod acuat sive elevet syllabam; gravis vero eo, quod deprimat aut deponat; circumflexus ideo, quod deprimat et acuat.

---

[1]) *vox* del. Eyssenh.; cf. X et Iuergensen. de III. M. C. l. p. 77.

[2]) *circumflexus* sc. *dictus. contrarius acuto circumflexus quia* Otto, ne proxima quidem respiciens: *acutus autem et circumflexus similes sunt.*

Dositheus p. 8, 4 K. XXX

Accentus in graeca lingua sunt VII, in latina V: acutus gravis circumflexus longus brevis.

Προσῳδίαι ἐν τῇ ἑλληνικῇ γλώττη εἰσὶν ἑπτά, ἐν τῇ ῥωμαικῇ πέντε, ὀξεῖα βαρεῖα περισπωμένη μακρὰ βραχεῖα.

Martianus Cap. III p. 57, 27 Eyss. XXXI

Hae tamen (sc. vocales) in Latio nunc produci nunc contrahi, nunc acui nunc gravari vel etiam circumflecti, nunc aggregari nunc distrahi sine iactura sui nominis possunt . . . . . (p. 58, 22 Eyss.) *e* autem vocalis duarum graecarum litterarum vim possidet: nam cum corripitur ε graecum est ut *ab hoc hoste,* cum producitur η est ut *ab hac die.* ac maxime tunc circumflexum accentum tenet.

Marius Victorinus a. gr. p. 35, 7 K. XXXII

Parente natura omnis vox sub duorum accentuum sono ore mortalium promitur, producto scilicet aut correpto, ex quis alter extenditur alter contrahitur. igitur cum in metris longa syllaba opus esset, ut ea quae brevis lege naturae prolata videbatur longa efficeretur, a principibus musicae artis auctoribus positio, id est duarum consonantium copulatio, reperta atque inducta est.

Servius de fin. p. 451, 12 K. XXXIII

Qui vocis accentus duo sunt ad ea quae tractamus necessarii correptus et productus. correptus est quotiens sine ulla mora vocis medias syllabas enuntiamus, ut *moénia tábula.* productus est, quotiens medias syllabas cum aliqua mora vocis exprimimus, ut *fortûna natûra.* (= Beda de metr. rat. p. 2358 P.)

Charisius p. 35, 23 K. = Exc. Charis. p. 551, 12 K. = Phocas p. 414, 2 K. XXXIV

Id quoque observabimus, ut quotiens de neutro loquamur correpta *o* littera dicamus *duŏ milia* (παρὰ τὸ δύο: exc. Char. Phoc.). in accentu longo[1]) *duō homines* ambo homines, ambae mulieres dicimus.

Cledonius p. 64, 26 K. XXXV

Omnia adverbia, quae ab appellationibus descendunt et *e* lit-

[1]) Errat Christius Philol. t. XVIII p. 182, cum hoc loco accentus quantitatisque notionem confusam esse putat, quippe qui propriam accentus significationem percipiat pro ea quae latius patet.

tera terminantur, producto accentu pronuntianda sunt, ut *primē, doctē,* et cetera. sane ista tria corripienda *benĕ, malĕ, magĕ*[1]) anomala reperiuntur.

CAPUT III.

De accentuum nominibus.

XXXVI Varro apud [Sergium] de acc. p. 531, 10 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 190 W.).

Prosodiam ibi esse dicimus, ubi aut sursum est aut deorsum. quae demissior est quae *[2]), a pluribus βαρεῖα appellatur graece, latine vero *gravis* ideo, quod deorsum est in sede scilicet ponderum graviorum; at eam quae sursum est Glaucus ἐπιτεταμένην, item alius aliter, sed nemo adhuc levem vocavit, quamvis id erat gravi contrarium: verum ea nomen obtinet ὀξεῖαν, latine *acuta* ideo quod tenuis et omne acutum tenue. inter has est μέση, latine media, quia limes est per quem duae supra dictae ultro citroque commeant. quartae illi[3]), quia ceteris perplexior est, plura sunt vocabula. Ammonius Alexandrius, qui Aristarchi scholae successit, ὀξύβαρυν vocat, Ephorus autem Cymaeus περίσπασιν, Dionysius Olympius διάτονον[4]), Hermocrates Iasius σύμπλεκτον, Epicharmus Syracusius κεκλασμένην; verum ea nunc ab omnibus

---

[1]) *magne* cod., quod servavit Keilius cl. p. 63, 19. Sed locus ille ad aliam rem spectat.

[2]) Pro *quae* Wilmannsius *ea* scripsit; Endlicherus Keilius Lentzius vocem deleverunt, quamquam fortasse accuratiorem gravis definitionem excidisse dicit Keilius. Sed si proxima spectamus, dubium esse non potest, quin non tam definitio, quam alia appellatio exciderit e. c. *quae Glauci ἀνειμένη est.*

[3]) *quarte illi coniungit liquia ceteris* L. *quare illi coniungit. liquit a caeteris* O. *quartae illi quae priores duas coniungit* Endl. Lentz. *quartae illi coniunctae* Wilm. *quartae illi* [*coniungit*] *quia* Keil.; *coniungit* glossema esse (ad vocem *perplexior*), confirmat *li* syllaba quae post *coniungit* exstat (unde novum vocabulum *coniunctili* fingere ausus est Usenerus): nihil enim nisi repetitio ultimae syllabae *illi* pronominis videtur.

[4]) *aponon* OL; ἄτονον mire Endl. Lentz.; δίτονον Weil. Benl. p. 11, Wilm., Keil. (qui coniecturam falso Corsseno II p. 208 tribuit). Ut διάτονον praeferrem, movit me Vitruvii locus (XXII) et quae ibidem secuntur § 3: *diatoni sunt continuati toni.*

περισπωμένη graece vocatur, apud nos *flexa*, quoniam primo erecta rursus in gravem flectitur.

Quintilianus inst. or. I, 5, 22. XXXVII

Adhuc difficilior observatio est per *tenores* quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt, vel *adcentus*, quas Graeci προσῳδίας vocant.

A. Gellius N. A. XIII, 6, 1. XXXVIII

Quas Graeci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum *notas vocum* tum *moderamenta*[1]) tum *accentiunculas* tum *voculationes* appellabant.

A. Gellius N. A. XIII, 26 (25), 3. XXXIX

Summum autem *tonum* προσῳδίαν acutam dicit (sc. Nigidius Figulus) et quem *accentum* nos dicimus, *voculationem* appellat.

Donatus p. 371, 2 K. XL

Tonos alii *accentus* alii *tenores* nominant.

Diomedes p. 431, 1 K. XLI[a]

Accentus est dictus ab accinendo, quod sit quasi quidam cuiusque syllabae cantus. apud Graecos quoque ideo προσῳδία dicitur, quia προσᾴδεται ταῖς συλλαβαῖς. accentus quidam *fastigia* vocaverunt, quod capitibus litterarum imponerentur[2]); alii *tenores* vel *sonos* appellant; nonnulli *cacumina*[3]) retinere maluerunt. sunt vero tres acutus gravis et qui ex duobus constat circumflexus.

Martianus Cap. III p. 68, 13 Eyss. XLI[b]

Accentus partim *fastigia* vocamus, quod litterarum capitibus apponantur, partim *cacumina*, *tonos* vel *sonos*; Graeci προσῳδίας.

Diomedes p. 456, 18 K. XLII

Tenor quem Graeci dicunt *tasin* aut *prosodian*, in flexibus

---

[1]) *moderamenta* vox quod sciam non nisi hoc loco exstat: sed tamen dubito an recte Weilius Benloewiusque p. 6 adn. 4 *modulamenta* proposuerint, quod simili notione usurpat Gellius I, 7, 19 (cf. IX, 6 arg.).

[2]) *ponerentur* cod.; *apponerentur* Putsch.; *in* ante *capitibus* add. Keil.

[3]) Iuergensenus l. s. s. p. 81 sq. *cacumina* vocem ab accentibus removendam esse censet, utpote quae per errorem et hoc loco et apud Martianum Capellam pro *acumina* illata sit. Sed prorsus non intellego, quidni eadem ratione qua *apex* et *fastigium* etiam *cacumen* de accentu eiusque notis adhibitum esse possit. Quod etiamsi alibi factum non sit, tamen et Martiano certe et Diomedi nomen convenit.

vocis servandus est; nam quaedam acuto tenore, pleraque gravi, alia flexo desiderant enuntiari. Cf. p. 456, 7 K.

XLIII Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 6 K.

Tenores accentus[1]) dicti sunt, quod naturalem uniuscuiusque sermonis in voce nostra elationis[2]) servent tenorem. dictus autem *accentus* est quasi adcantus iuxta Graeci nominis interpretationem, quod prosodia dicitur Latine adcantus.

XLIV[a] Cledonius p. 31, 29 K.

Accentus dicitur partium orationis quasi adcantus[3]); qui igitur[4]) accentus dicuntur, et toni dicuntur et tenores.

XLIV[b] Cledonius p. 32, 5 K.

Tria habet cognomenta accentus; aut toni sunt aut tenores aut accentus; toni a sono, accentus ab accinendo[5]), tenores ab intentione.

XLIV[c] Servius c. in Don. p. 426, 7 K.

Accentus dictus est quasi adcantus secundum Graecos, qui προcῳδίαν vocant: nam apud Graecos πρὸς dicitur ad, cantus vero ᾠδή vocatur. plane sive accentum dicas sive tonum sive tenorem idem est.

Cf. Pompeius p. 125, 36 K. Isidorus etym. I, 17, 1; 2 sq. (XXIX[a]).

XLIV[d] Servius de fin. p. 451, 10 K.

Accentus autem est quasi adcantus dictus, quod ad cantilenam vocis nos facit agnoscere syllabas.

XLIV[e] Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 174).

Int. accentus unde dictus? Resp. quod iuxta cantum sit, ut aduerbium iuxta uerbum. Int. inter accentum et cantum quid interest? Resp. quia cantus in musica, accentus in oratione.

XLV Frg. de acc. e cod. Bob. (nunc Vindob. XVI) p. 142 Endl.

Accentum[6]) Graeci προcῳδίαν appellant. triplex autem est: aut enim acutus est, quem ὀξεῖαν dicunt, aut gravis, quem βαρεῖαν, aut circumflexus, quem περιcπωμένην. Omnia igitur nomina sive verba sive quae alia pars orationis fuerit, hanc rationem enuntiationis recipient.

---

[1]) *Tenores sive accentus dicti sunt* cod. ed. Sed prior definitio ad *tenores* tantum spectat, quare aut delendum est *sive* aut post *sunt* repetendum *tenores*.

[2]) De huius loci mutatione v. XXV[a] adn.

[3]) *quasi adcantus* add. H. Hagen. (t. V p. 683 K.).

[4]) *quid igitur accentus dicuntur? et toni dicuntur et tenores* Putsch. Keil. (qui potius *quidicitur* in cod. se dignovisse putat). *quasi adcantus. accentus dicuntur et toni, dicuntur et tenores* H. Hagen l. s. s.

[5]) *accinendo* H. Hagen. l. s. s. *acuendo* cod. ed.

[6]) *Accentus* cod. Endl.

Rutilius Lupus II, 14. XLVI

ʽΟμοτέλευτον.ʼ Hoc minus evidens est, quam superius (sc. ὁμοιόπτωτον) et minorem affert auribus iucunditatem. nam neque tam paria duo verba sunt, neque eundem habent casum et sonum vocis, quam Graeci prosodian appellant.

CAPUT IV.

De notis accentuum.

Varro apud [Sergium] de acc. p. 532, 16 K. (Varr. frg. de serm. l. III, 60 p. 192 W.) XLVII

Acutae nota est virgula a sinistra parte dextrorsum sublime fastigata / ; gravis autem notatur simili virgula ab eadem parte depresso fastigio \, quae notae demonstrant omnem acutam vocem sursum esse et gravem deorsum. id ipsum[1]) etiam musicorum docetur diagrammate, in quo tropi pro acumine vocis superiores scribuntur. denique summus hyperlydius, quia acutissimus, infimus hypodorius, quo nullus est gravior. flexa autem prosodia, quod duplex est et ex acuta gravique ficta notam habet nomini potestatique respondentem: nam a sinistro cum surgens arduo fastigio et sursum molli curvatura dextroversum flexa praecipiti clivo deprimitur et speciem pronae litterae C efficit, priorem acutam et posteriorem gravem sibi inesse significat ⌒[2]). (mediae vero cuius nunc usus non habetur notam non ponimus, quia neque a maioribus accepimus neque fingere possumus).

Quintilianus inst. or. I, 7, 2; 3. XLVIII

Longis syllabis omnibus adponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi quod scribitur patent; sed interim necessarium cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit: ut *malus*

---

[1]) *deorsum; ipsum* cod. ed.; Keilius *quod ipsum* fortasse scribendum esse censet.

[2]) Notas accentuum addendas esse docent verba: *mediae — notam non ponimus.* Ceterum semel moneo ubique fere illas me restituisse; quas ut in communi usu non fuisse notum est, ita grammaticos cum alias tum in commentationibus de accentu eas adhibuisse et ex testimoniis et ex meliorum codicum vestigiis perspicitur.

arborem significet an hominem non bonum apice distinguitur *palus* aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat et cum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus.

XLIX Q. Terentius Scaurus de orth. p. 2264 P.

Si autem cum eadem *i* littera aliud breve aliud longum est, ut *pIla* et *pila*[1]), apices ibi poni debent, ubi eisdem litteris alia atque alia res designatur, ut *venit* et *vênit, aret* et *âret, legit* et *lêgit* ceteraque his similia. super *i* tamen litteram apex non ponitur: melius enim I [pIla] in longum producetur. ceterae vocales, quia eodem ordine positae diversa significant, apice distinguuntur, ne legens dubitatione impediatur (hoc est, ne in ŏs hos haedôs[2]) pronuntiet).

L Isidorus etym. I, 17, 6.

Accentus autem reperti sunt vel propter distinctionem ut *viridique in litore conspicitur, sus* ne dicas *ursus*, vel propter pronuntiationem, ne dicas *mĕta* breviter et non producta *me*[3]) *mêta*, vel discernendae ambiguitatis causa, ut *ergô*, nam cum producitur *go* causam significat, cum corripitur coniunctio est.

LI Marius Victorinus a. gr. p. 43, 25 K.

Cημεῖον autem veteres χρόνον, id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quaedam accentuum, quae Graeci προcῳδίαϲ vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur, unde tempora signa Graeci dixerunt.

LII^a Donatus p. 371, 31 K.

Acutus est nota per obliquum ascendens in dexteram partem /, gravis nota a summo in dexteram partem descendens \, circumflexus nota de acuto et gravi facta ^, longus linea a sinistra in dexteram partem aequaliter ducta —, brevis virgula similiter iacens sed panda et contractior ◡, hyphen virgula subiecta versui ‿: hac nota subter posita duo verba cum ita res exigit copulamus, *ante‿tulit gressum* et *Tur-*

---

[1]) *Ila et Pila* Putschius; sed *pIla* et sensus flagitat et nescio an eadem vox post *melius enim I* minus apte inserta potius ad *Ila* vocis correctionem pertineat.

[2]) *ne in os hos aedes pronunciet* Putschius. Sed vix dubito quin verba *hoc est — pronuntiet* delenda sint.

[3]) *non producta meta* Otto, qui affert etiam *non producte.*

nus ut ante‿volans tardum praecesserat agmen; huic contraria est diastole, dextera pars [quaedam] circuli ad imam litteram ad posita ɔ: hac nota male cohaerentia discernuntur, ut est *ereptae, virginis ira* et *viridique in litore conspicitur, sus.* apostrophos item circuli pars dextera, sed ad summam litteram adposita ': hac nota deesse ostendimus parti orationis ultimam vocalem, cuius consonans remanet, ut est *tanton' me crimine dignum duxisti*? ceterum δασεῖαν et ψιλήν apud Latinos *h* littera vocali addita vel detracta significat.

De fig. acc. in Don. (An. Helv. p. 229, 19 H.). LII^b
Per obliquum s. iter i. tortuosum. Ascendens, iens. A summo i. ab alto. Descendens i. ruens. Longa linea s. accentus est. Aequaliter ducta, ita —, de qua syllabae duo tempora habentes designantur, ut in pedibus supra dictum est. Brevis virgula s. accentus est. Panda, curva obunca inclinata. Contractior i. brevior ita ‿. Ista enim brevis virgula non ita rotunda est, ut semicirculus, sed virgula est superius curva, qua brevis syllaba unum tempus habens ostenditur. Isti ergo duo accentus, longus et brevis, in ostensione temporum superponuntur[1]) syllabis. Hyfen virgula s. parva. Subiecta i. supposita submissa. Versui i. metro vel prosae. Hac nota i. figura. Subterposita i. subiecta subtus missa. Exigit i. requirit compellit. Antevolans i. praecurrens. In istis igitur verbis, ne erret puer putando duas esse partes, subtus ponitur hyfen coniungens duo in unum. Est autem graecum nomen, latine sonat coniunctio. Coniungit enim male separata et interpretatur supposita coniunctio. Diastole s. accentus dissimilis hyfen, quia sicut ille coniungit, ita iste separat. Proprie autem diastole est intercolumnium i. spatium, quod fit inter columnas. *Stole* enim dicitur columna, inde diastole dicitur disiunctio, eo quod male coniuncta disiungat. Ad imam i. ad finem. Discernuntur i. separantur. Cohaerentia i. coniungentia, ut *virginis ira*. Apostrophos item. Congrue dixit *item*, quoniam praedicta iteratur figura, sed aliud supra et aliud agit infra. Apostrophus enim graece conversio locutionis dicitur latine, inde apostrophus a conversione vocatur, quia consonantem dictionis, cuius vocalis aufertur, convertit ad praecedentia. Unde haec figura bene conversiva vel reversiva sive regressiva dicitur. Differunt autem inter se apostrophus et diastole, quod diastole ad extremitatem ponitur litterae, apostrophus vero ad summitatem: ut *tanton'* pro tantone, et *viden'*

---

[1]) *superponuntur* scripsi pro *supponuntur*, quod malui librario tribuere quam magistello, quia in proximis de suppositis agitur notis.

pro videsne, *audin'* pro audisne. Hoc autem fit causa metri, in prosa vero ad pristinum[1]) revertitur. Ceterum pro sed. Addita adiuncta s. per dasian. vel detracta subtracta per silen. *Dasian* interpretatur pinguedo vel aspiratio sive uberior sonus et dicitur a dando; *silen* siccitas sive purum interpretatur et a silendo dicitur.

LIIc Diomedes p. 434, 1 K.

Accentus acuti nota ita / per obliquum ascendens in dexteram partem. gravis nota ita \ a summo in [obliquam] dexteram partem descendens. circumflexus[2]) [nota] de acuto et gravi figuratur ∧, vel c deorsum spectans ⌒[3]). longus linea a sinistra in dexteram partem aequaliter ducta —. brevis virgula similiter iacens, sed panda et contractior, quasi c sursum spectans ◡: sed in illis sonos, in his tempora dinosci videmus. horum autem officio sic utimur, ne productionis vel correptionis ratio confundatur. apud Latinos enim quinque litterae vocales tam producuntur quam corripiuntur. inveniuntur itaque quaedam nomina [homonyma] et participiis[4]) et verbis similia, alia quoque adverbiis. de quibus quid dici potest, nisi quod accentus sit arbiter discernens utriusque significatus differentiam? sic [homonyma] *parens* obsequens significatur, intellegitur et pater: prius participium est tractum a verbo quod est *pareo*, posterius nomen. quotiens igitur participium significat, primam syllabam producimus, ut est Vergilianus ille *iamque ibat dicto pārens*, eandem vero in altera significatione corripimus, ut est *alma păreus.* item verbis similia sic: *labor* est nomen et verbi prima positio: in nominis significatione primam syllabam corripimus, ut est *tot adire lăbores,* at in verbi producimus, ut est *matrisque adlābitur aures* et *summas perlābitur undas.* item adverbiis sic:

[1]) *pristinam* cod.; Hagenus post *revertitur* add. *formam.*

[2]) *circumflexus* AB. *circaflexus* M. *circumflexi nota* Keil.; *nota* delevi, item in prioribus *obliquam* (*in obliquum quasi in dexteram* Putsch.).

[3]) *figuratur vel* c *deorsum spectans* ∧ Keil.; an: *figuratur, velut* c *deorsum spectans* ⌒?

[4]) *et participiis* in cod. om. recte reposuerunt ed. Sed mihi *homonyma,* quod in proximis iam Keilius seclusit, etiam hoc loco nil nisi glossema ad *similia* vocem pertinens esse videtur, quo quidem ipso *et participiis* expulsum sit.

late est et adverbium et verbum modi imperativi: in adverbio tam prima syllaba producitur, ut est *hinc populum lāte regem,* quam in verbi significatione corripitur, ut est *aut aliquis lătet error equo,* item *nec lătuere doli* et *ut superi voluere lăte.* omnia autem huiusmodi facilius ex metrica structura comprehenduntur. his adiciunt hyphen, cuius forma est virgula sursum sensim curvata subiacens versui et inflexa ad superiorem partem ‿. hac nota subter posita utriusque verbi proximas litteras in una pronuntiatione colligimus, ita tamen tum cum ita res exegerit copulamus[1]), ut est *Turnus ut ante‿volans* et *ante‿tulit gressum* et *quam simul‿ac tali persensit p. t. c. I. c.* et apud Sallustium *iam primum iuventus simul‿ac belli patiens erat. simul‿ac* hyphen legendum: est enim una pars orationis. huic contraria est diastole, dextera pars circuli ad imam litteram adposita ↄ. hac nota male cohaerentia discernuntur, ut est *ereptae, virginis ira* et *viridique in litore conspicitur, sus.* apostrophos item circuli pars dextera, sed ad summam litteram consonantem adposita, cui vocalis subtracta est ʼ et hac nota deesse ostendimus parti orationis ultimam vocalem, cuius consonans remanet, ut est *tantonʼ me crimine dignum?* ceterum δασεῖαν et ψιλὴν apud nos *h* vocali addita vel detracta demonstrat, id est scripta adspirationem, non scripta levigationem significat.

Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 9 K. LII[d]
Sunt omnes accentus latini VIII: acutus, qui fit ita / , gravis ita \, circumflexus ita ^, factus scilicet de utroque, longus ita —, brevis ita ◡, hyphen ita ‿, diastole ita ,, apostrophos ita ʼ. verum hoc interest inter diastolen et apostrophum, quod apostrophus ad caput litterae ponitur, diastole vero ad imam partem. hoc ideo diximus, ne cui harum similitudo notarum aliquid erroris adferat.

Sergius de acc. [in Don.] p. 484, 11 K. LII[e]
Hyphen est nota, quae duo verba iungit ac nectit supposita, quae ducitur a praecedentis verbi fine usque ad initium sequentis, ut *interea‿loci,* cum tamen usus exegerit. diastole est nota

---

[1]) Non intellego cur Keilius Diomedem duas definitiones, quarum altera est apud Donatum, altera apud Victorinum, posuisse dicat. Nam quod *ita tamen — copulamus* adicit Diomedes, eo spectat, quod hyphen non designatur nisi res vel usus exegerit i. e. ad evitandam ambiguitatem.

contraria hyphen. hac enim vitiose coniuncta separamus; et ponitur ad imam partem litterae, quasi retinens, ut *ereptae, virginis ira* et *viridique in litore conspicitur, sus.* apostrophos est nota similiter facta ut diastole, sed ad summam partem litterae posita scilicet consonantis, quae quasi sub vocali motu velata suspenditur. scire etiam debemus Graecorum δασεῖαν et ψιλήν ⊢ ⊣ notam adspirationis modo positae modo sublatae[1]) simulare.

LII^f Pompeius p. 132, 1 K.

Quod si vis codicem distinguere, ita distingue. quando vis acutum accentum facere lineam a sinistra parte in dexteram partem sursum ducito / ; quando vis gravem, a summa sinistra in dexteram descendito \; quotiens vis circumflexum, de gravi et de acuto fac ^; quotiens vis longum, — hoc adiacens fac; quotiens vis brevem, ◡ hoc adiacens fac. his rebus tractatis supersunt alii accentus tres, hyphen apostrophos diastole. isti accentus quid praestant? hyphen adicimus[2]) quando duo verba coniungimus, ne erret puer et male pronuntiet, ut si dicimus *antetulit gressum,* ne dicat *ante tulit.* et quomodo iungitur? syllabam ultimam praecedentis verbi, posterioris sequentem subiecta virgula circumdas, *ante‿tulit gressum te‿tu* ipsas istas subiecta ista virgula circumdas. et dicitur hyphen, quia coniungit sic istas. diastole disiungit; ut si dicas *viridique in litore conspicitur, sus*; ne erret puer et dicat *conspicit ursus* ad istam *tur* addimus, id est circumflexam virgulam, et ita disiungimus. est etiam apostrophos *[3]) apud Latinos non facile in nominibus invenitur, nisi quemadmodum remanserit, verbum dicatur[4]) [in nominibus] hoc apud Latinos [quae si remanserit]. apud Graecos licet nobis et apostrophon facere et dicere plenum verbum quasi remanserit[5]), apud Latinos non. *cervical* Graecus, quando in metro loquitur, sic dicit, quemadmodum remanserit. non enim quando soluta oratio est, dicit *cervical*, sed dicit plena verba. apud Latinos quando apo-

---

[1]) *H notam adspirationis modo positam modo sublatam* Putsch. Endl. ⊢ ⊣ *notam — sublatam* Keil.; recte ⊢ ⊣, nam de Romanorum more non agitur h. l. Neque vero debuit eo referre *modo positam modo sublatam,* quod correxi; an: ⊢ ⊣ *notis adspirationem modo positam modo sublatam?*

[2]) *adicimus* scripsi pro *dicimus.*

[3]) Definitio apostrophi intercidit.

[4]) Locum valde turbatum, quem Keilius e corrupta codicum scriptura proposuit, sanare studui: quare *verbum dicatur* addidi (cf. infra *plenum dicere verbum*), *in nominibus* inclusi, quod inepte repetitum ne *verbum* proprie intellegatur, illa expulisse puto.

[5]) *quasi remanserit* verba, quae supra delevi, leniter mutata huc transtuli; quod utroque loco *apud Latinos* legitur, videtur causa fuisse transpositionis.

strophos fit, si passa fuerit, passa est penitus, sive in metro sive in soluta oratione. hi tamen[1]) in coniunctionibus servant legem graecam; nam [in coniunctionibus] in metro deficiunt, in soluta oratione servant. puta: *tanton' me*, si soluta esset oratione, plenum diceret *tantone me crimine dignum*; *men'* dicimus: soluta oratio si esset, *mene* diceret. ergo solvitur[2]) illa lex [graeca] in coniunctionibus; in ceteris partibus orationis opus est, ut semel pertulerit, si semel pertulerit, iam ipsam servat. ceterum illi accentus superfluo adduntur: dasia et psile; nos enim habemus h, et ubi est h, dasia est, ut puta *homo*; ubi non est psile est, ut puta *omen*. [puta] si dicas[3]): duas litteras habet apud Graecos, unam apud Latinos[4]), scire debes[5]) quoniam Latini ipsam litteram latinam de illis duobus accentibus fecerunt. h apud Latinos ita fit H: scinde in[6]) hoc ipsum medium apicem et fecisti unam dasian, unam psilen. (scissa illa littera[7]) et illud et illud fecerunt.)

Cledonius p. 33, 31 K. LII[g]

Acutus /, gravis \, circumflexus ⌃, longus —[8]), brevis ◡, ὑφέν ‿, διαστολή ͻ: ne dicatur ὑφέν: *conspicit ursus*. δασεῖα ⊢, ψιλή ⊣: δασεῖα adspiratio, ψιλή siccitas; haec signa apud Graecos.

Dositheus p. 10, 5 K. LII[h]

Est autem forma acuti accentus I obliqua in partem dexteram scandens, gravis accentus forma I obliqua in partem dexteram descendens. circumflexum designat accentum C deorsum spectans. longum accentum transversa I littera notant, brevem C sursum spectante. sed in illis sonos,

Ἔστιν δὲ σημεῖον τῆς ὀξείας προσῳδίας I πλάγιον εἰς τὸ μέρος τὸ δεξιὸν ἀναβαῖνον· τῆς βαρείας προσῳδίας σημεῖον I πλάγιον εἰς τὸ μέρος τὸ δεξιὸν καταβαῖνον. τὴν περισπωμένην σημειοῦται προσῳδίαν C κάτω βλέπον. τὴν μακρὰν προσῳδίαν πλαγίῳ τῷ I γράμματι σημειοῦν-

---

1) *hi tamen* scripsi pro *item*, cui particulae in oppositione locus non est.

2) *solvitur* ABM; *servatur* Lindemannus, quem sequitur Keilius. Sed non animadverterunt viri docti in proximis ad *iam ipsam servat* legem sc. latinam supplendum esse; quare *graeca* delevi.

3) *puta si dicas duas* B. *puta si* (*dicis* add. c.) *duas* C. *puta si dic duas* A; *puta sic duas* Keil. (qui deinde *habet* in *habes* correxit); *puta* delere malui: v. adn. 5).

4) *unam apud Latinos* addidi.

5) *scire debes* scripsi cum C; Keilius, qui *si* mutavit in *sic*, *sed scire debes* cum AB exhibet.

6) *in* adieci; Keilius *apicem* inclusit mire sic scribens: *h apud Latinos ita fit* ⊢ ⊣; *scinde hoc ipsum medium et fecisti.*

7) Extrema verba aut ab alio addita esse videntur ad corrigendam Pompei opinionem aut decurtata ac perturbata.

8) V. H. Hagen. apud Keil. gr. l. t. V p. 683.

in his tempora dinoscimus. aspirationem H adscripta praestabit, si adscripta non erit siccitatem. his adiciunt hyphen cum duo verba quasi in unum pronuntiatione colligimus et formam eius hanc faciunt: utriusque verbi proximas syllabas inflexa subter virgula iungunt, ut est *Turnus ut ante‿volans.* item[2]) apostrophon, cum vocalem ultimam subtrahimus. hanc sic notant: ad caput eius consonantis, cui vocalis subtracta est, inflexam virgulam, quae ad eam spectat apponunt, ut *tanton' me crimine dignum.*

ται, βραχεῖαν C ἄνω βλέποντι. ἀλλ' ἐν ἐκείνοιϲ τοὺϲ τόνουϲ, ἐν τούτοιϲ τοὺϲ χρόνουϲ γινώϲκομεν[1]). τὴν δαϲεῖαν H προϲγεγραμμένον παρέχει· ἐὰν δὲ μὴ εἴη προϲγεγραμμένον ψιλὴν ξηράν. ταύταιϲ προϲβάλλουϲι τὴν ὑφέν, ὁπότε δύο ῥήματα ὡϲ εἰϲ ἓν τῇ ἐκφωνήϲει ϲυνάγομεν· καὶ τὸ ϲημεῖον αὐτῆϲ τοῦτο ποιοῦϲιν· ἑκατέρου ῥήματοϲ τὰϲ ἔγγιϲτα ϲυλλαβὰϲ ἐπικεκαμμένῃ ὑποκάτωθεν ῥάβδῳ ζευγνύουϲιν, ὥϲ ἐϲτιν *Turnus ut ante‿volans.* ὁμοίωϲ καὶ ἀπόϲτροφον, ὁπότε[3]) φωνῆεν τελικὸν ὑφαιροῦμεν. ταύτην οὕτωϲ ϲημειοῦνται. πρὸϲ τὸ ἄνω μέροϲ τοῦ ϲυμφώνου, οὗ τὸ φωνῆεν ὑφήρηται, ἐπικεκαμμένον ῥαβδίον εἰϲ αὐτὸ βλέπον τιθέαϲιν ὡϲ *tanton' me crimine dignum.*

LII^{1} Victorinus de a. gr. p. 193, 21 K.

Acuti accentus quae est forma? I obliquum in partem dexteram scandens /. Quid gravis forma? I a parte sinistra descendens \. circumflexum transversa V littera Λ notamus, hoc modo Λ. brevem C susum spectante ‿: longum autem sic iacente I —: sed in illis sonos, in his tempora dinoscimus; quare dasian et psilen, quibus Graeci utuntur, [et] nos praetermittimus? Quoniam adspirationem nobis adposita H littera, quae in duas partes dividitur, repraesentat, et, si adposita non erit, siccitatem[4]). his adiciunt et hyphen, cum duo verba quasi in unum pronuntiatione colligimus, et formam hanc faciunt ‿ et utriusque verbi proxi-

[1]) γινώϲκεϲθαι. τὴν cod.: quare cum apud Diomedem (LII^{c}) dicatur *dinosci videmus*, hoc etiam Dositheo restituendum et ad γινώϲκεϲθαι ὁρῶμεν adiciendum esse putavit Keilius; sed *dinoscimus* etiam apud Victorinum (LII^{1}) legitur, ut facilius visum sit γινώϲκομεν corrigere.

[2]) Ante *item* Keilius lacunam, qua diastoles definitio exciderit, indicat; sed hanc omissionem, ut ipsi tribuam grammatico, illud me movet, quod ceteroqui semper dicitur apostrophi nota loco tantum a diastole differre, hic nil nisi ipsa describitur.

[3]) ὁπόταν cod. Keil.

[4]) *siccitatem* ex Dositheo reposui pro *item.* Verba *quae — dividitur* parum apte interposita, etsi delere nolui, tamen ab hoc loco aliena esse patet.

mas litteras inflexa subter virgula iungunt, quale est *Turnus ut ante‿volans.* item diastole, dextera quaedam pars circuli, ad imam litteram adposita hac nota , male cohaerentia discernens, ut est *erepta, e virginis ira*; *viridique in litore conspicitur, sus.* item apostrophon sic notant; ad caput eius consonantis cui vocalis subtracta est, inflexam virgulam, quae ad eam spectat adponunt, ut *tanton' me crimine dignum duxisti?*

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 173).

Martianus Cap. III p. 68, 9 Eyss. LII[k]

Acutus accentus notatur virgula a sinistra parte in dexteram ascendente /, gravis autem a sinistra ad dexteram descendente \ [1]); inflexi signum est sigma super ipsas litteras devexum ~.

Priscianus I, 47 p. 35, 24 H. LII[l]

H literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis quam Graecorum antiquissimi similiter ut Latini in versu scribebant: nunc autem diviserunt et dextram eius partem supra literam ponentes psiles notam habent, quam Remmius Palaemon exilem, Grillius vero ad Vergilium de accentibus scribens levem nominat, sinistram autem contrariae aspirationis, quam Grillius flatilem vocat.

Priscianus de acc. 5—7 p. 520, 3 K. LII[m]

Sunt namque decem accentus, quos ita huic operi dignum existimavi praenotare. accentus acutus virgula est a sinistra parte in dexteram partem ducta sursum; fit namque ita /. gravis a summo in dexteram deprimitur ita \. circumflexus nota de acuto et gravi facta scribitur ita ^. longus est virgula iacens ita —. brevis [virgula] est[2]) pars circuli iacens inferior ita ◡. hyphen quae coniunctio dicitur, qua tunc utimur, quando duo verba conectimus: est namque subiecta virgula versui circumflexa ita ‿. diastole, quae disiunctio latine dicitur, quae contraria separat, dextera pars circuli supposita versui, fit ita ɔ. apostrophos pars item circuli dextera ad summam litteram adposita est, quae fit ita ', qua nota ostendimus ultimam vocalem parti orationis deesse, cuius consonans remanet, ut *tribunal'* pro *tribunale.* dasia quod interpretatur aspiratio vel ubi h littera poni debet hac figura notatur ⊢. psile quod interpretatur siccitas vel parum vel ubi h littera deesse debet, hac nota demonstratur ⊣.

Isidorus etym. I, 19, 1—11. LII[n]

Figurae accentuum decem sunt, quae a grammaticis pro verborum

[1]) *descendente* pro *descendens* cum Koppio et Iuergenseno restitui.

[2]) Seclusi *virgula.*

distinctionibus apponuntur. ὀξεῖα, id est acutus accentus, linea a sinistra parte in dexteram partem sursum ducta, fit ita /. βαρεῖα, id est gravis, linea a summo sinistrae in dexteram deposita, fit ita \. περισπωμένη, id est circumflexus, linea de acuto et gravi facta exprimitur ita ∧. μακρά, id est longa, virgula iacens est ita —. βραχύς, id est brevis, pars est circuli inferior iacens ita ◡. ὑφέν, id est coniunctio, quia duo verba conectit, subiecta virgula versui circumflexa, fit ita _‿_. diastole, id est distinctio, quae e contrario separat, dextera pars circuli supposita versui, fit ita ɔ. apostrophos, pars item circuli dextera et ad summam litteram adposita, fit ita ’, qua nota deesse ostenditur in sermone ultima vocalis, ut *tribunal’* pro *tribunale.* δασεῖα, quod interpretatur aspiratio, id est ubi H littera poni debet, tali figura notatur ⊢. ψιλή, quod interpretatur siccitas sive parum, id est ubi H littera esse non debet, tali nota ostenditur ⊣. Quorum duorum accentuum figuram Latini ex ipsa littera aspirationis fecerunt; unde si iungas has, fecisti eam aspirationis notam H; rursum si medium eius apicem scindis δασεῖαν ⊢ et ψιλὴν ⊣ facis

---

CAPUT V.

Quasnam syllabas teneat accentus, sive regulae accentuum.

LIII Priscianus II, 1 p. 44, 1 H.

Syllaba est comprehensio literarum consequens sub uno accentu et uno spiritu prolata; abusive tamen etiam singularum vocalium sonos syllabas nominamus. possumus tamen et sic definire syllabam: syllaba est vox literalis, quae sub uno accentu et uno spiritu indistanter profertur.

LIVa Priscianus II, 12 p. 51, 15 H.

Distat syllaba a dictione et sensu et accentu. nisi enim sciamus quomodo posita sit syllaba in dictione, incertum est quo accentu eam pronuntiemus: syllaba enim per se, nisi cum sit dictio, sensum habere non potest. invenitur tamen et plena oratio in una dictione, ut in verbis imperativis: *curre, lege* et similiter plena dictio in una syllaba, ut *ars, do, dic, i.* accidit unicuique syllabae tenor, spiritus, tempus, numerus literarum. tenor acutus vel gravis vel circumflexus. in dictione tenor certus, absque ea incertus, non potest tamen sine eo esse.

Cf. Alcuinus p. 2084 P.

Priscianus II, 14 p. 53, 15 H. LIV[b]
Syllaba autem non omni modo aliquid significat per se; ergo monosyllabae dictiones possunt quodam modo esse et syllabae, non tamen sincere, quia numquam syllaba per se potest aliquid significare: hoc enim proprium est dictionis. unde si dicam *a* per se scio esse syllabam, nec tempora tamen eius nec tenorem nec spiritum nec significationem agnosco, donec cognovero dictionem, in qua ponitur. nam in *ara* deorum *a* paenultima producitur et circumflectitur in nominativo nec habet aspirationem, cum autem significat stabulum porcorum, eadem syllaba paenultima corripitur et acuitur et habet aspirationem; haec eadem *a* quando est praepositio gravatur et producitur et est sine aspiratione. vides ergo per se ipsam syllabam deficere praedictorum ratione nec aliter posse examussim tractari, nisi posita sit in dictione.

Servius c. in Don. p. 426, 16 K. LV[a]
Accentus in ea syllaba est, quae plus sonat. quam rem deprehendimus, si fingimus nos ad[1]) aliquem longe positum clamare. invenimus enim naturali ratione illam syllabam plus sonare, quae retinet accentum atque usque eodem nisum vocis ascendere.

Pompeius p. 127, 1 K. LV[b]
Et quo modo invenimus ipsum accentum? et hoc traditum est. sunt plerique qui naturaliter non habent acutas aures ad capiendos hos accentus et inducitur hac arte. finge tibi quasi vocem clamantis ad longe aliquem positum. ut puta finge tibi aliquem illo loco contra stare et clama ad ipsum; cum coeperis clamare, naturalis ratio exigit, ut unam syllabam plus dicas a reliquis illius verbi; et quam videris plus sonare a ceteris, ipsa habet accentum. ut puta si dicas *orator*, quae plus sonat? *ra*; ipsa habet accentum. *optimus*, quae plus sonat? illa quae prior est. numquid sic sonat *ti* et *mus*, quemadmodum *op*? ergo necesse est, ut illa syllaba habeat accentum, quae plus sonat a reliquis, quando clamorem fingimus.

Cicero or. XVIII, 58. LVI
Ipsa enim natura quasi modularetur hominum orationem in

---

[1]) *ad* inserui.

omni verbo posuit acutam vocem nec una plus nec a postrema syllaba ultra tertiam.

LVII Quintilianus inst. or. I, 5, 29—31.

Difficilior apud Graecos observatio est (sc. legis sermonis) quia plura illis loquendi genera, quas διαλέκτους vocant et quod alia vitiosum, interim alia rectum est; apud nos vero brevissima ratio. namque in omni voce acuta intra numerum trium syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae sive ultimae et in iis aut proxima extremae aut ab ea tertia. trium porro de quibus loquor, media longa aut acuta aut flexa erit, eodem loco brevis utique gravem habebit sonum ideoque positam ante se id est ab ultima tertiam acuet. est autem in omni voce utique acuta, sed numquam plus una nec umquam ultima, ideoque in disyllabis prior; praeterea numquam in eadem flexa et acuta [quiin eadem flexa et acuta][1]). itaque neutra cludet vocem latinam, ea vero quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa, ne sit aliqua vox sine acuta.

LVIII Quintilianus inst. or. XII, 10, 33.

Accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves habemus, quia ultima syllaba nec acuta umquam excitatur nec flexa circumducitur, sed in gravem vel duas gravis cadit semper. itaque tanto est sermo graecus latino iucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent.

LIX Olympiodorus in Aristot. Meteor. p. 27.

Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ τὸ

---

[1]) Verba quae inclusi sic exstant in B; deteriores ms. habent *quin* vel *quia* vel *quia in*; omiserunt verba AMS. Ut alios praetermittam, Halmius scripsit *quoniam est in flexa et acuta,* Langenus Philol. t. XXXI (1871) p. 119 sq. *quoniam eadem flexa et acuta.* Is praeterea demonstrare studet verba interpolata esse non posse, quod facile concedo; neque enim in interpolatione, sed in aperta versamur dittographia:

numquam in eadem flexa et acuta
quiin eadem flexa et acuta.

Quod vero Langenus dicit verba *itaque neutra cludet vocem latinam* prorsus sensu carere omissis quae praecedunt verbis, id ne intellego quidem. Cf. p. 35 adn. 2.

ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουϲι Γραῖκοι λέγοντες, ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουϲι διὰ τὸν κόμπον. ὅθεν ὑπερηνορέοντες ἐκλήθηϲαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν.

Athenaeus Deipnos. X p. 425 a. LX

(Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις δὲ οἱ εὐγενέϲτατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην ἐκτελοῦϲιν ἐν τοῖς δημοτελέϲι τῶν θυϲιῶν) πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι ὡς καὶ κατὰ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς.

Diomedes p. 431, 6 K. LXI[a]

Ex his acutus in correptis semper, interdum productis syllabis versatur, inflexus in his, quae producuntur, gravis autem per se numquam consistere in ullo verbo potest, sed in his, in quibus inflexus est aut acutus ceteras syllabas obtinet. in graecis itaque dictionibus cum acutus tria loca teneat, ultimum paenultimum antepaenultimum, ultra numquam (neque enim refert plurium syllabarum esse partem orationis) apud Latinos duo tantum loca tenet, paenultimum et antepaenultimum; circumflexus autem quotlibet syllabarum sit dictio, non tenebit nisi paenultimum locum. omnis igitur pars orationis hanc rationem pronuntiationis detinet.

Dositheus p. 8, 6 K. = Victorinus de a. gr. p. 192, 16 K. LXI[b]

In omni parte orationis latinae item ut graecae aut acutum aut circumflexum accentum poni necesse est, nec amplius quam unum vel hunc vel illum; nam gravis ponitur in pluribus. acutus cum apud Graecos tria loca teneat, ultimum et paenultimum et ei proximum[1]), apud nos duobus tantum locis poni potest, in paenultima, ut *praelegísti*, aut in ea, quae a fine sit tertia, ut *praelégimus*. circumflexus si pars

Ἐν παντὶ μέρει λόγου ῥωμαϊκοῦ ὁμοίως ὥϲπερ τοῦ ἑλληνικοῦ, ἢ ὀξεῖαν ἢ περιϲπωμένην προϲῳδίαν τίθεϲθαι ἀναγκαῖόν ἐϲτιν, οὐ πλεῖον δὲ ἢ μίαν ἢ ταύτην ἢ ἐκείνην. ἡ γὰρ βαρεῖα τίθεται ἐπὶ πλειόνων. ἡ ὀξεῖα ὁπότε παρὰ τοῖς Ἑλληνικοῖς τρεῖς τόπους ἔχει τὸν τελευταῖον καὶ τὸν παρατέλευτον[1]) καὶ τὴν ταύτῃ ἔγγιϲτα ϲυλλαβήν, παρ' ἡμῖν δύο μόνον τόποις τίθεϲθαι δύναται, ἐν τῇ παρατε-

---

[1]) *ultimam et peneultimum et ei proximam apud* cod. *ultimam et paenultimam et ei proximam syllabam apud* Keil. (cf. Victorinus); idem, cum in cod. exstet: εχει τεαειταιον και τον παρατελευτο cet., correxit ἔχει τὴν τελευταίαν καὶ τὴν παρατέλευτον cet.

orationis trium aut amplius fuerit syllabarum, non ponitur, nisi paenultimum locum poterit invenire, ut *turbâre.*

λεύτῳ συλλαβῇ ὡς τὸ *praelegísti* [προανέγνως] ἢ ἐπὶ ταύτης ἥτις τρίτη ἀπὸ τέλους ἐστίν, ὡς τὸ *praelégimus.* ἡ περισπωμένη ἐὰν τὸ μέρος τοῦ λόγου τριῶν ἢ πλειόνων ἔσται συλλαβῶν, οὐ τίθεται, εἰ μὴ τὸν παρατέλευτον τόπον δυνήσεται εὑρεῖν ὡς τὸ *turbâre.*

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 172).

LXI[c] Donatus p. 371, 2 K.

Acutus cum in graecis dictionibus tria loca teneat, ultimum paenultimum et antepaenultimum, apud Latinos paenultimum et antepaenultimum tenet, ultimum numquam. circumflexus autem quotlibet syllabarum sit dictio, non tenebit nisi paenultimum locum. gravis in eadem dictione vel cum acuto vel cum circumflexo poni potest et hoc illi non est commune cum ceteris.

Cf. Cledonius p. 32, 3 K.

LXI[d] Servius c. in Don. p. 426, 15 K.

Unus autem sermo unum recipit accentum vel acutum vel circumflexum, utrumque autem simul habere non potest . . . . accentus autem conputantur non a prioribus syllabis sed ab ultimis id est retrorsum, nec possunt ascendere nisi usque ad tertiam syllabam a fine. Graeci acutum accentum in tribus syllabis ponunt id est in ultima et paenultima vel antepaenultima; circumflexum vero in duabus id est in ultima et paenultima. Latinitas autem in ultima syllaba nullum ponit accentum. unde fit, ut acutus accentus apud Latinos duos possideat locos, paenultimum et antepaenultimum, circumflexus unum paenultimum tantum.

Cf. Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 19 K.

LXII Sergius de acc. [in Don.] p. 483, 11 K.

Circumflexus accentus in disyllabis vel in trisyllabis vel in quantovis numero syllabarum paeneultimum sibi tantum vindicat locum et hac lege, ut ubi fuerit hic accentus, paeneultima sit naturaliter longa. ita fit, ut huic accentui trochaeus naturaliter longus convenire videatur. item monosyllaba pars orationis tunc istum habebit accentum, cum longa fuerit

natura tantum, ut *sôl, dôs.* gravis vero accentus cum acuto et circumflexo accentu poni poterit. possumus enim in eo quod est *Càtúllus* gravem ponere cum acuto in antepaeneultima. item cum circumflexo ita ponitur, ut *Cèthêgus.* verum quia necesse non est ut cum reliquis ponatur, fiet scriptoris arbitrio. sed hic gravis accentus non habet communionem eandem cum ceteris quam cum circumflexo et acuto. quam si tamen et cum ceteris habuerit, non habet nisi per istos, ut *màle‿sânus intèreá‿loci.* sed nequis putet in huiusmodi sermonibus quattuor esse accentus, hyphen aut acutum aut circumflexum aut gravem[1]), siquidem dicit in conpositis dictionibus unum accentum esse debere non minus, quam in una parte orationis: sed sciendum est quod modo hyphen pro distinctione ponatur, gravis pro superfluo scriptoris arbitrio, ut supra dictum est. restat igitur, ut ex illis legitimis duobus iure dictionis positus dicatur accentus.

[Sergius] de acc. p. 528, 30 K. LXIII
Ergo in hoc cognoscere debes, quoniam littera vocalis facit accentum secundum ordinem syllabarum cuiuslibet partis orationis primo loco secundo vel tertio.

Frg. de acc. e cod. Bob. (nunc Vindob. XVI) p. 142 Endl. LXIV
Ceterum nullum est verbum sive disyllabum sive trium pluriumve syllabarum, quod novissima syllaba acute enuntietur.

Pompeius p. 127, 15 K. LXV
Iam modo videamus quo modo conputantur accentus. a fine non ab initio. ut puta *indoctissimus*, quinque sunt; non incipis conputare, utrum prior syllaba habeat accentum, id est *in*, inde si *doc* habeat accentum, inde *tis*, inde *si*, inde *mus*. non potes ita ab initio conputare, sed a fine quaere, si finalis habeat; si finalis non habuerit paenultima habet; si paenultima non habuerit, tertia a fine habet[2]). et hoc plus non ascendit accentus, sed aut in finali est aut in paenultima, aut in tertia a fine. in istis

---

[1]) Tam insana a Sergio profecta esse non possum in animum inducere; vix dubito quin scripserit: *in huiusmodi sermonibus III esse accentus hyphen et acutum aut circumflexum et gravem.*

[2]) Pro *habet* cod. ABC exhibent *habeat*, unde conicere possis potius antea scribendum esse: *si finalis non habuerit, si paenultima habeat* sc. quaere. sed difficile est in tali scriptore decernere, quid ipsi quid librariis tribuas.

tribus a fine conputantur accentus, ad quartam syllabam vel ad quintam non ascendit accentus nec apud Latinos nec apud Graecos; sed tantum modo tres sunt syllabae, quae habent accentum. ideo propter hanc causam vide quam bonam brevitatem invenerunt Latini. tres diximus a fine habere accentus: ergo tres regulae erunt; una erit regula de ultima, una de paenultima, una de tertia a fine. sed quid si de quattuor syllabis constabit nomen, quid si de quinque, quid si de sex, quid si de septem, quid si de octo? iam eadem ratio est. qua ratione? nam quoniam accentus non ascendit ultra tres syllabas, quid opus est, ut quaeras aliud in istis syllabis pluribus aut in quarta aut in quinta, cum ad illas superiores accentus non ascendat? ergo eadem erit ratio in illis pluribus, quae in tribus syllabis, ipsa in sex syllabis, ipsa etiam in octo. ergo sic conputantur accentus a fine. ipse autem accentus tres habet locos, ultimum paenultimum antepaenultimum. sed apud Graecos ubique invenitur acutus accentus et in ultima et in paenultima et in antepaenultima; circumflexus apud Graecos duos habet locos, ultimum et paenultimum tantum; ad tertium locum numquam ascendit. tres sunt ergo loci acuti accentus apud Graecos, ultimus paenultimus, antepaenultimus et duo loci circumflexi, ultimus et paenultimus. vide quanta brevitate colligis hanc rationem. apud Latinos ultima syllaba accentum non habet; non licet. excepta ista ultima syllaba, quam non licet habere accentum, quid nobis relinquitur? ut acutus accentus apud Latinos duos habeat locos paenultimum et antepaenultimum, circumflexus accentus unum habeat locum, paenultimum. vides ergo quanta brevitate hoc sit factum. tres erant loci acuti accentus apud Graecos, ultimus, paenultimus, antepaenultimus, et circumflexi accentus duo erant loci, ultimus et paenultimus. remove istum qui apud Latinos accentum non habet penitus, id est ultimum, hoc remoto hoc superest, ut ille circumflexus, qui habuit duos locos, habeat unum, et acutus, qui habuit tres locos, habeat duos. tertia ergo a fine non potest habere, nisi accentum acutum, quoniam diximus acutum non ascendere nisi usque ad tertium locum[1]); ergo tertia syllaba tunc[2]) habet accentum, quando paenultima brevis est. ideo tertia habet acutum solum, secunda a fine utrumque et acutum et circumflexum.

LXVI Martianus Cap. III p. 65, 22 Eyss.

Omnis igitur vox latina simplex sive composita habet unum sonum aut acutum aut circumflexum. duos autem acutos aut

---

[1]) An: *quoniam diximus non nisi acutum ascendere usque ad tertium locum?*

[2]) An *hunc*?

inflexos habere numquam potest, gravis vero saepe. acutum habet in prima syllaba, si dicas *Caélius*, in secunda *Sallústius,* in tertia *Curiátius*; inflexum item in prima si dicas *caêlum*; syllaba autem paeneultima numquam acuitur natura ipsa si brevis[1]), sed praecedens eius id est ab ultima tertia sive brevis sive longa sit, ut *Cícero, Caélius.* flexus autem sonus in ea tantum modo syllaba consistit, quae praecedit ultimam nec aliter quam ut ipsa natura longa sit et ultima tamen brevis, ut *Galênus.* At si longa ultima aut si paeneultima positione longa licet ultima brevis, acutus tamen sonus fiet *Galéni, Camílli.* inflexi proprium hoc est, ut nisi longis natura syllabis non adhaereat, acutus autem et in longis et in brevibus invenitur.

Martianus Cap. III p. 68, 22 Eyss. LXVII

Longa autem duobus modis efficitur natura et positione; natura, cum vocalis producitur aut cum syllaba circumflexum accentum tenet vel acutum in paeneultima aut cum monosyllaba unaquaeque vocalis est aut cum diphthonga repperitur vel cum prima syllaba sub alia forma cuiuscumque verbi composita nec vocalem nec acumen mutat[2]).

[Priscianus] de acc. 7, 8 p. 520, 17 K. LXVIII

Notandum quod acutus accentus apud Latinos duo loca teneat paenultimum et antepaenultimum, apud Graecos vero antepaenultimum, paenultimum et ultimum; circumflexus autem paenultimum tantum. ponitur namque gravis in eadem dictione vel cum acuto vel circumflexo, sed tamen non in una syllaba. observatur namque certus[3]) accentus in integris dictionibus, ut *Românus, Hispânus*, in compositis vero unus similiter, ut *malesânus, intercáloci.*

---

[1]) *natura ipsa brevius sed* D. *natura ipsa sed* ceteri cod. et ed. *brevis* etiam Iuergensenus l. s. s. p. 78 ex D restituit.

[2]) Verba *vel acutum in paenultima* et *unaquaeque vocalis est* delevit Eyssenhardtus; sed quid inde proficiamus non video, cum locum manifestum sit ob earundem particularum repetitionem gravius turbatum esse; in quo illud vix dubitari potest, quin verba *cum vocalis producitur* et *aut cum diphthonga repperitur* cohaereant; verba *cum prima syllaba sub alia forma cuiuscumque verbi composita nec vocalem nec acumen mutat* significare videntur disyllabas num longam habeant vocalem, apparere in compositionibus, ubi brevis et corripitur et saepe afficitur. Sed de loco cum aliqua probabilitate constituendo equidem desperaverim. Iuergensenus l. s. s. p. 83 pro *monosyllaba* proposuit *monophthonga syllaba* reliquis servatis; sed ita et alia dubia restant et *unaquaeque* intellegi non potest.

[3]) *certus* scripsi cum G cod.; *unus* ς Keil. Sequitur enim: *sed in interiectionibus . . . . nulli certi sunt accentus.*

LXIX[a] Diomedes p. 431, 15 K.

Omnis vox monosyllaba aliquid significans, si brevis est acuetur ut *áb, mél, fél* et si positione longa fuerit, acutum similiter tenorem habebit, ut *árs, párs, píx, níx, fáx.* sin autem longa natura fuerit, flectetur, ut *lûx, spês, flôs, sôl, môns, mós, fôns, lîs.*

LXIX[b] Dositheus p. 8, 18 K.

Monosyllaba quaecumque positione longa fuerint acutum habebunt accentum, ut *píx*; quae natura longa erunt, circumflexo accentu pronuntiabuntur, ut *rês.*

Τὰ μονυϲύλλαβα ἅπερ ἂν θέϲει μακρὰ εἴη, ὀξεῖαν ἕξουϲιν προϲῳδίαν ὡς *píx.* ἅτινα δὲ φύϲει μακρὰ ἔϲται περιϲπωμένῃ προϲῳδίᾳ ἐκφωνηθήϲεται ὡς *rês.*

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 172 et 174).

LXIX[c] Donatus p. 371, 8 K.

Ergo monosyllaba quae correptam vocalem habebunt, acuto accentu pronuntiabimus, ut *fáx, píx, níx*; quae productam vocalem habebunt, circumflexo accentu pronuntiabimus, ut *rês, dôs, spês.*

LXIX[d] Servius c. in Don. p. 426, 27 K.

In monosyllabis partibus orationis quotiens syllaba naturaliter longa est circumflexum habet accentum, ut *rês, dôs*; quotiens vero vel naturaliter brevis est vel positione longa, acutum habet accentum, ut *néc, níx, nóx.* nam in accentibus syllaba sive naturaliter brevis sive positione longa indifferentur accipitur.

LXIX[e] Sergius de acc. [in Don.] p. 483, 8 K.

Sane sciendum est quod monosyllaba pars orationis quae vel naturaliter brevis est, ut *et, que* vel positione longa fit, acutum habebit accentum, ut *níx, fáx.*

LXIX[f] [Sergius] de acc. p. 524, 21 K.

Quaecumque enim monosyllaba fuerint, hoc est unius syllabae, si brevia sunt, vel si positione longa fuerint [aut] acutum habebunt accentum, ut *nóx, píx, níx*; quae vero natura longa fuerint, accentu circumflexo pronuntiabuntur, ut *spês, rês, môs, flôs, dôs, rôs*; gravem enim sonum non recipiunt.

LXIX[g] Pompeius p. 128, 15 K.

His legibus semel captis iam modo videamus de singulis partibus orationis et primum incipiemus tractare de monosyllabis. praeterea antequam tractemus hoc ipsum scire debes, quia positio in accentibus non conputatur; in monosyllabis talis est, si sit positione longa ac si sit naturaliter brevis: non licet ut aliquid plus habeat quantum ad accentum pertinet; positione longa syllaba si fuerit, talis est ac si non sit positione longa, sed sit naturaliter brevis. monosyllaba pars orationis si naturaliter pro-

ductam vocalem habeat, circumflexum habet accentum, ut puta *dôs* naturaliter longa est, *spês* naturaliter longa est, *aês* naturaliter longa est [unde facit aera] quia diphthongus est. monosyllaba ergo pars orationis, si naturaliter productam vocalem habuerit, circumflexum habebit accentum. quid si naturaliter correptam habuerit? acutus erit, ut puta *ét, néc, qué*: *primusqué Machaon,* ut sit coniunctio. quid si positione longa sit? illud quod tibi dixi, sic accipitur quasi naturaliter brevis. ergo talis est positione longa qualis est naturaliter brevis; et diximus in brevi acutum accentum esse; si ergo brevis acutum accentum habet, superest, ut positione longa acutum habeat accentum. ut puta *píx* positione est longa; sed quoniam naturaliter non est longa, acutum habet accentum. hoc est, quod tractatum est de acuto accentu et circumflexo. omnia ergo in accentibus secundum naturam colliguntur. si fuerit illic vocalis naturaliter longa, circumflexum habet accentum; si fuerit brevis naturaliter, etiamsi sit positione longa, acutum habet. ecce habes de monosyllabis.

Cledonius p. 32, 11 K. LXIXh

Ergo monosyllaba. in omnibus monosyllabis nominibus sive quae breves fuerint natura, sive quae positione longae factae fuerint, non habent nisi acutum accentum. sin vero[1]) ipsa monosyllaba natura longa fuerint, non positione, non habent nisi circumflexum accentum.

Frg. de acc. e cod. Bob. (nunc Vindob. XVI) p. 142 Endl. LXIXi

Monosyllaba aliquid significantia, si fuerint natura longa, id est produci potuerint, circumflexa voce efferuntur, ut *spês, flôs, môs, rôs.* si positione longa fuerint aut certe brevia, acuta voce pronuntiabuntur, ut *nón, néc, quís, quíd, híc, níx.*

Victorinus a. gr. p. 192, 24 K. LXIXk

Monosyllaba quaecumque positione longa fuerint acutum habebunt accentum ut *píx*, *nóx, níx, páx*[2]), *fáx.* Quid quae natura longa erunt? circumflexo accentu pronuntiabimus, ut *dôs*, *spês, rês*, *môs*, *flôs.*

Martianus Cap. III p. 66, 7 Eyss. LXIXl

Omnis autem vox aut acutum aut circumflexum sonum habeat

---

[1]) *sin vero* scripsi; *si vero in* cod. *si vero* Keil.

[2]) *pax* ut h. l. et apud [Priscianum] de acc. 10 correptae vocis est exemplum, ita apud Diomedem et Donatum l. s. s. nonnulli libri perhibent. Cuius rei causa sita est in grammaticorum studio ubique conspicuo, ut exempla similem sonum referentia componant. Eius hariolationem, qui de πάξ interiectione cogitaret, dignam iudicarunt quam refutarent Weilius Benloewiusque p. 35.

necesse est, etiamsi monosyllaba sit. monosyllabae enim gravi carent. omnis vox monosyllaba cum aliquid significat, sive brevis est sive positione longa acuetur, ut dicimus *fár, árs*; si autem natura longa fuerit, flectetur, ut *lûx, môs.*

LXIX^m Priscianus de acc. 10; 11 p. 521, 5 K.
Syllaba quae correptam vocalem habet, acuto accentu pronuntiatur, ut *páx, fáx, píx, níx, dúx, núx*; quae etiam tali accentu pronuntianda est, quamvis sit longa positione, quia naturaliter non est[1]); quae vero naturaliter producta est, circumflexo accentu exprimenda est, ut *rês, dôs, spês.*

Cf. Isidorus etym. I, 17, 4.

LXX^a Diomedes p. 431, 18 K.
Omnis vox disyllaba priorem syllabam aut acuit aut flectit. acuit vel cum brevis est utraque, ut *déus, cítus, dátur, árat* vel cum positione longa est utraque, ut *sóllers,* vel alterutra positione longa, dumne natura longa sit, prior ut *póntus* posterior ut *cóhors.* si vero prior syllaba natura longa et sequens brevis fuerit, flectitur prior, ut *lûna, Rôma.*

LXX^b Dositheus p. 9, 1 K. = Victorinus de a. gr. p. 193, 3 K.

In disyllabis si prior natura longa erit posteriore correpta, prior circumflectetur, ut *hôra, Rôma,* si posterior producta sit, prior seu longa seu brevis fuerit, acuatur necesse est, ut *léges, sálus*; et si ambae breves sint, acuetur prior, ut *déus, hómo.*

Ἐπὶ τῶν δισυλλάβων ἐὰν ἡ προτέρα φύσει μακρὰ εἴη τῆς ὑστέρας συνεσταλμένης, ἡ προτέρα περισπασθήσεται ὡς τὸ *hôra, Rôma*, ἐὰν δὲ ἡ ὑστέρα ἐκτεταμένη εἴη, ἡ προτέρα εἴτε μακρὰ εἴτε βραχεῖα ἔσται, ὀξυτονηθήσεται ἐξ ἀνάγκης, ὡς τὸ *léges, sálus.* καὶ εἰ ἀμφότεραι βραχεῖαι εἶεν, ὀξυτονηθήσεται ἡ προτέρα ὡς τὸ *déus, hómo.*

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII, p. 173 et 175).

LXX^c Donatus p. 371, 11 K.
In disyllabis quae priorem productam habuerint et posteriorem correptam, priorem syllabam circumflectemus, ut *mêta, Crêta*; ubi posterior syllaba producta fuerit, acuemus priorem, sive illa correpta fuerit sive producta, ut *népos, léges:* ubi ambae breves fuerint, acuemus priorem, ut *bónus, málus.*

LXX^d Donatus ad Ter. Phorm. I, 2, 77 (127).
Ego te cognatum dicam et tibi scribam dicam] *Dicam* supra verbum, infra nomen est totidem litteris, diverso accentu.

---

[1]) *naturaliter brevis est* ς Keil.; *naturaliter longa est* H; *naturaliter producta est* G; scripsi *non est*, ut § 12: *quia non est naturalis.*

Servius c. in Don. p. 426, 31 K. LXX[e]
In disyllabis vero unus modus est, qui circumflexum ostendit accentum, quotiens prior naturaliter longa est et ultima naturaliter brevis, ut *mêta, Crêta, Rôma.* aliter vero acutum habet sive ambae natura longae fuerint, ut *léges*, sive positione longae, ut *princeps,* sive naturaliter breves id est duae syllabae, ut *égo,* ut ait Vergilius: *ast égo quae divum incedo.* sic et sive prior positione longa sit, ut *árma*, sive posterior, ut *Árabs*, ubique acutus, ut diximus, accentus est.

Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 23 K. LXX[f]
Paeneultimum tunc in disyllabis (sc. tenebit locum) cum prior fuerit vel correpta vel positione longa vel cum ambae naturaliter longae fuerint, vel cum ambae breves. ita fit ut in disyllabis cum acuto accentu hi pedes coniuncti sint: trochaeus positione factus, iambus, pyrrhichius, spondeus.

[Sergius] de acc. p. 524, 25 K. LXX[g]
Disyllaba latina priorem syllabam aut acutam habent aut inflexam; a gravi numquam incipiunt. quorum si prior natura longa erit posteriore correpta, habebit in se circumflexum accentum, ut *Rôma*, *rhêtor*; si posterior producta sit et prior seu longa seu brevis fuerit, acuatur necesse est, ut *léges*, *sálus*; etiamsi ambae breves sint, acuetur prior, ut *déus, hómo.*

Pompeius p. 126, 37 K. LXX[h]
Disyllaba pars orationis uno modo recipit circumflexum tantum, si et prior naturaliter longa sit et ultima naturaliter brevis, ut *mêta*: *me* naturaliter longa est *ta* naturaliter brevis est, circumflexum habet accentum: id est quando est trochaeus naturaliter, tunc est circumflexus in disyllabis, aliter non licet, ut puta *mêta, Crêta*, *Rôma.* ecce modo circumflexus est tantum, quod prior naturaliter longa est et ultima naturaliter brevis. aliter vero quomodocumque iam acutum faciunt. quid si positione longa sit? acutus est, ut puta *árma*: acutus est. quid si prior brevis et posterior longa? acutus est, ut puta *párens.* quid si ambae naturaliter longae sint? acutum habent, ut est *léges.* et quare hoc? *le* naturaliter longa est et diximus naturaliter longas paenultimas circumflexum habere accentum? sed non sequitur brevis, ut sit trochaeus, nam *leges* spondeus est. ergo tunc est circumflexus, quando prior naturaliter longa est et ultima naturaliter brevis. ecce habes iam de disyllabis.

Frg. de acc. e cod. Bob. (nunc Vindob. XVI) p. 142 Endl. LXX[i]
In disyllabis autem si primo loco producta fuerit syllaba, habebit in se circumflexum accentum: *Rôma, rhêtor, brûma, îma*[1]), *prîma.* Si vero prima syllaba positione longa fuerit

[1]) *ita* cod. Endl.

aut brevis, acutum tonum in prima reperies, ut *cánto, cóndo, cúrro, sálto, pínna, sécta.*

LXX^k Cledonius p. 32, 14 K.

In disyllabis quae priorem: in omnibus disyllabis nominibus[1]) quattuor pedes sunt, qui in penultima sive longa sit sive brevis non habent nisi acutum accentum. solus trochaeus circumflexum accentum habet in penultima si natura longa fuerit; qui si positione habuerit penultimam longam et ipse mutat accentum et acutum recipit.

LXX^l Martianus Cap. III p. 66, 12 Eyss.

Disyllaba vero priorem acuunt vel cum brevis est utraque ut *cítus* vel cum positione longa est utraque ut *sóllers* vel alterutra positione longa ut *[2]) *cóhors.* si vero prior syllaba natura longa est et sequens brevis, flectetur prior, ut *lûna*; si posterior longa erit positione vel natura, prior acuetur, ut *códex, dócte.* nulla enim [longa] invenietur gravis[3]) in disyllabo prior.

LXX^m [Priscianus] de acc. 11; 12 p. 521, 9 K.

Disyllabae vero quae priorem productam habent et posteriorem correptam, priorem syllabam circumflectunt, ut *mêta, Crêta*; illae vero quae sunt ambae longae vel prior brevis et ulterior longa, acuto accentu pronuntiandae sunt, ut *népos, léges, réges.* hae vero quae sunt ambae breves, similiter acuto accentu proferuntur, ut *bónus, málus.* sed notandum quod, si prior sit longa positione, non circumflexo sed acuto accentu pronuntianda est, ut *árma, árcus*: quae quamvis sit longa positione, tamen exprimenda est tali accentu, quia non est naturalis.

LXX^n Isidorus etym. I, 17, 4.

Disyllaba pars orationis si priorem naturaliter longam habet et ultimam brevem, circumflectitur, ut *mûsa*; aliter acuitur.

LXXI^a Diomedes p. 431, 23 K.

In trisyllabis autem et tetrasyllabis et deinceps secunda ab

[1]) *In omnibus disyllabis omnibus quattuor pedes sunt syllaui qui toti nothi sunt in penultima* cod. *omnibus quattuor — nothi sunt* delevit Keilius, fortasse *omnes quattuor pedes disyllabi, qui toti noti sunt in penultima* scribendum esse ratus. Quod *nominibus* reposui, de eo vide LXIX^h. *toti nothi sunt* adscriptum est ex recordatione non satis accurata praecepti Cledoniani p. 31, 37.

[2]) Exemplum velut *arma* excidisse videtur, nisi recte *altera* se habet pro *alterutra.*

[3]) *gravis si in* scripsit Eyssenhardtus. Sed potius *longa* delendum est. *si* etiam Iuergensenus l. s. s. p. 78 omittendum esse censet.

ultima semper observanda est. haec si natura longa fuerit, inflectitur, ut *Románus, Cethêgus, marînus, Crispînus, amîcus, Sabînus, Quirînus, lectîca.* si vero eadem paenultima positione longa fuerit, acuetur, ut *Metéllus, Catúllus, Marcéllus,* ita tamen si positione longa non ex muta et liquida fuerit. nam mutabit accentum, ut *látebrae, ténebrae.* et si novissima natura longa itemque paenultima [positione] longa[1]) fuerit, paenultima tantum acuetur, non inflectetur, sic natura, ut *Fidénae, Athénae, Thébae, Cýmae,* positione, ut *tabéllae, fenéstrae.* sin autem media et novissima breves fuerint, prima servabit acutum tenorem, ut *Sérgius, Mállius, áscia, fúscina, Iúlius, Claúdius.* si omnes tres syllabae longae fuerint, media acuetur, ut *Románi, legáti, praetóres, praedónes.*

Dositheus p. 9, 6 K. = Victorinus de a. gr. p. 193, 6 K. LXXI[b]

In trisyllabis tetrasyllabisve aut quae plures syllabas habebunt, si paenultima brevis fuerit, quae eam praecedit acuetur, ut *Túllius, Horténsius.* si paenultima positione longa fuerit, ipsa acutum habebit accentum, praecedentem autem gravem faciet, ut *Catúllus*; si paenultima naturaliter producta erit, ita ut ultima brevis sit, paenultimam circumflectemus, ut *Cethêgus.* si autem longa erit ultima, paenultimae acutum dabimus accentum, ut *Athénae, Fidénae.*

Ἐν τοῖς τρισυλλάβοις ἢ τοῖς τετρασυλλάβοις ἢ ἅπερ ἂν πλείους συλλαβὰς ἕξει, ἐὰν ἡ παρατέλευτος συλλαβὴ βραχεῖά ἐστιν, ἡ ταύτῃ προάγουσα ὀξυνθήσεται, ὡς Τούλλιος Ὁρτήνσιος. ἐὰν ἡ παρατέλευτος θέσει μακρὰ εἴη, αὐτὴ τὴν ὀξεῖαν ἕξει προσῳδίαν, τὴν προάγουσαν δὲ βαρεῖαν ποιήσει, ὡς Κατούλλος. ἐὰν ἡ παρατέλευτος συλλαβὴ φυσικῶς ἐκτεταμένη ἔσται, οὕτως ὥστε τὴν τελευταίαν βραχεῖαν εἶναι, τὴν παρατέλευτον προπερισπάσωμεν, ὡς τὸ Κεθῆγος. ἐὰν δὲ μακρὰ εἴη ἡ τελευταία, τῇ παρατελεύτῳ ὀξεῖαν δώσομεν προσῳδίαν, ὡς Ἀθήναι Φιδήναι.

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 173 et 175).

Donatus p. 371, 15 K. LXXI[c]

In trisyllabis et tetrasyllabis et deinceps, si paenultima correpta fuerit, acuemus antepaenultimam, ut *Túllius Hostílius*: si paenultima positione longa fuerit, ipsa acuetur et antepaen-

---

[1]) *natura vel positione* ς. *sive natura sive positione* Keil. *positione* ABM; quare delevi vocem eadem ratione insertam, qua paullo post in cod. B: *si omnes tres syllabae natura longae fuerint.*

ultima gravi accentu pronuntiabitur, ut *Catúllus, Metéllus*, ita tamen, si positione longa non ex muta et liquida fuerit; nam mutabit accentum, ut *látebrae, ténebrae*: si ultima brevis fuerit, paenultima vero natura longa, paenultima circumflectetur, ut *Cethêgus, perôsus*; si ultima quoque natura longa fuerit, paenultima acuetur, ut *Athénae, Mycénae*.

LXXI[d] Servius c. in Don. p. 426, 37 K.

In trisyllabis et tetrasyllabis et deinceps — nam necesse est, ut trisyllaborum rationem omnia posasyllaba sequantur, eo quod usque ad tres syllabas a fine ascendit accentus — tertia a fine syllaba acutum semper habebit accentum; numquam enim ad ipsam circumflexus ascendit; tunc autem supra dictum habebit accentum, cum secunda a fine fuerit naturaliter brevis, ut *Rómulus*; nam ideo *Ro* habet accentum, quia *mu* syllaba brevis est. quotiens autem paenultimo loco longa est, ipsa habebit accentum; quem autem habeat, de disyllaborum ratione cognoscimus.

LXXI[e] Sergius de acc. [in Don.] p. 482, 26 K.

In trisyllabis vel in quantovis numero syllabarum tunc est acutus, cum tres syllabae a fine breves naturaliter fuerint, ut *ánima, mácula*, vel quidquid horum inventum fuerit, quae in disyllabis ante docuimus. ita fit, ut in trisyllabis hunc eundem accentum cognoscamus in tribracho, molosso, cuius ambae a fine syllabae aut naturaliter longae fuerint aut positione, aut prior positione longa, dactylo, anapaesto, amphimacro, amphibracho, cuius tamen positione media fit longa[1]), bacchio naturali et antibacchio, cuius item positione fit media longa. hucusque dictum est in trisyllabis eiusmodi qui esse possit accentus; nunc dicendum est, in qua parte trisyllabi acutus sit ponendus. in trisyllabis antepaeneultima accipit accentum, etiamsi paeneultima sit longa positione ex muta et liquida, ut *látebrae, cólubri*; in tribus longis paeneultima, ut *Maecénas*; ubi [antepaene]ultima brevis fuerit, paeneultima vero longa positione, in paeneultima ponendus, ut *amíctus*[2]).

Cf. [Sergius] de acc. p. 525, 2 K.

---

[1]) Ordinem verborum optimi cod. B retinui; *media fit positione longa* cum ceteris Keilius. Mox *possit* scripsi pro *possint*.

[2]) *ubi antepaeneultima brevis fuerit, paeneultima vero longa, in paeneultima ponendus ut amicus* cod. ed. Fortasse *amicis* scribendum esse putat Keilius. Satis antiquum esse vitium inde perspici potest, quod in cod. Vindob. additum est *amicus circumflexus*; de ipsius tamen grammatici errore cogitari non potest, quia statim transit ad circumflexum (LXII); quare errorem inde repeto, quod pro exemplo rariore *amictus* irrepsit *amicus*. Praeterea ineptissime antepaenultimae brevitas

Servius ad Aen. XII, 375. LXXI[f]
Bilicem loricam] *li* longa est et accentum habet, sicut *bifilum fi* producitur, quia et *fīla* et *lícia* dicimus.

Servius ad Aen. XI, 463. LXXI[g]
maniplis] ars quidem exigebat, ut *ma* haberet accentum, *ni* [enim] longa quidem est, sed ex muta et liquida: quod quotiens fit, tertia [syllaba] a fine sortitur accentum, ut *látebrae ténebrae.* Tamen in hoc sermone, ut secunda a fine habeat accentum, usus obtinuit.

Servius ad Aen. I, 384. LXXI[h]
Ipse ignotus egens Libyae deserta peragro] *per* habet accentum; nam *a* longa quidem est, sed non solida positione; muta enim et liquida quotiens ponuntur, metrum iuvant, non accentum.

Pompeius p. 129, 14 K. LXXI[i]
Diximus quoniam tertia a fine non potest habere nisi acutum accentum; non licet. ergo noli quaerere, qualis sit sive positione longa sive naturaliter[1]) sive naturaliter brevis, non habet nisi acutum. sed illud quaerendum nobis est, quando habeat, quia et ipsa[2]) habere potest et ista, ne erremus et dicamus istam habere, cum ista habeat. ergo scire debemus hoc firmissimum esse tunc tertiam a fine habere accentum, quando secunda a fine naturaliter brevis est. *Rómulus Ro* longa est et *mu* naturaliter brevis est; ergo quoniam et *Ro* naturaliter longa est, et *mu*, quae est secunda a fine, naturaliter brevis est, acutus accentus est: *máximus, óptimus.* non licet ut tertia a fine habeat accentum, nisi secunda a fine naturaliter brevis sit. ecce habes rationem tertiae syllabae: tolle tertiam a fine et iam disyllabum est. si enim sustuleris istam tertiam, remanere habent duae. si remanserint duae, ratio disyllaborum erit. diximus in ratione disyllaborum non posse inveniri circumflexum, nisi quando ista naturaliter longa et ultima naturaliter brevis sit. ergo *Cethegus*, tolle inde *Ce*, remanet *thegus*; *thegus* qui pes est? trochaeus. ergo circumflexus erit. quid si dicas *cethe*? quoniam non est trochaeus, iam acutus erit. quid si dicas *Metellus*? *tell* qualis est? positione longa est: ergo necesse est, ut acutus accentus sit. ergo noli te in diversas ambages

---

commemoratur, quae nihil ad accentum valet; exspectamus autem praeceptum de paenultima positione longa: itaque et *amictus* et *ultima* restitui et *positione* addidi.

[1]) *sive naturaliter* in cod. om.; Keilius post *qualis sit* inseruit: *sive naturaliter longa.*

[2]) *ipsa* in *ista* mutavit Keilius cum Lindemanno praeter necessitatem.

mittere, sed tracta, quando debeat accentum habere; tunc autem habebit accentum tertia a fine, quando secunda a fine naturaliter brevis est; sublata tertia a fine cum remanserint duae, redis ad rationem disyllaborum et hanc serva rationem.

Quicquid pertinet ad accentus hoc est, nec potes ulterius reperire[1]). vides quanta brevitate utantur Latini. Graeci vero chaos fecerunt, totum confuderunt, ut quamvis mille legas tractatus, non te convenias. diximus regulas accentuum, et breviter accipe iterum ipsas regulas. monosyllaba pars orationis si fuerit naturaliter longa, circumflexum habet, ut *dôs*, *spês*; si fuerit naturaliter brevis, acutum habet, etiam si positione sit longa: nam diximus in accentibus positionem nihil valere. ergo sive brevis naturaliter fuerit, ut *ét* sive positione longa, ut *ést*, *árx*, idem est[2]). in disyllabis uno modo invenitur circumflexus accentus, si prior naturaliter longa fuerit et ultima naturaliter brevis, ut est *mêta*. quid si ambae longae fuerint? acutus erit. quid si ambae breves? acutus erit. puta ambae longae sunt, ut *léges*; positione longae, ut *prínceps*. ambae breves, ut *égo*; prior longa positione, ut *árma*; postrema longa positione, ut *párens*: quaqua ratione acutus erit. in trisyllabis haec ratio est, ut tertia a fine non habeat accentum, nisi quando paenultima naturaliter brevis fuerit, *Rómulus*, *óptimus*; ideo habet accentum *op*, quoniam *ti* brevis est. sublata autem ista tertia remanent duae syllabae, quae cum fuerint duae, rationem habebunt disyllaborum.

LXXI[k] Frg. de acc. e cod. Bob. nunc Vindob. XVI p. 142 Endl.
Super istud de trisyllabis dicamus, in quibus haec erit observatio: si media syllaba positione longa fuerit, acuto tono enuntiabitur, ut *Metéllus*, *cancélli, lanístae, fenéstrae* . . . . . .

LXXI[l] Cledonius p. 32, 19 K.
Trisyllabis et deinceps. omnes pedes trisyllabi, si in penultima accentum habent, acutum habent[3]); solus amphibrachus si penultimam natura longam habuerit, circumflexum accipit; qui si penultima positione fuerit longa, mutat accentum et acutum recipit. [in dactulo in antepenultima acutus ponendus sive natura sit sive positione longa][4]). Perosus et Cethegus amphi-

[1]) *reperire* A; quare *potest* in *potes*, quam *reperire* in *reperiri* mutare malui (cf. *redis vides* cet.).

[2]) *sive positione longa est*, *ut est arx. in disyllabis* cod. ed. Keilius *sive positione longa, ut arx, acutum habet* fortasse scribendum esse putat. Duplex *est* turbas movere potuit.

[3]) *omnes pedes trisyllabi sive in penultima acutum accentum habet* cod. — Keilius ante *sive* lacunam statuit et fortasse *vel in antepenultima vel in penultima acutum accentum habent* exstitisse putat.

[4]) Hanc cur deleverim h. l. enuntiationem, vide ad LXXII[b] significatum.

brachus pes est; penultima ipsius si natura longa sit, circumflexum recipit; quae si positione longa fiat, mutat accentum et in antepenultima acutum recipit. notandum hunc solum pedem circumflexum accipere, si penultima natura longa fuerit.

Cledonius p. 76, 9 K. LXXI[m]
(Donatus p. 389, 30 K. *in et con praepositiones, si ita conpositae fuerint, ut eas statim s vel f litterae consequantur*) plerumque producuntur, ut insula: istae non tam positione longae sunt quam natura, ut prima vocalis circumflexum accipiat.

Martianus Cap. III p. 66, 19 Eyss. LXXI[n]
In trisyllabis si media brevis fuerit, quam paeneultimam dicimus, non dubie gravi accentu pronuntiatur, ac statim prima eius, hoc est tertia ab ultima acuetur, ut in *Cátulo*; si vero eadem longa est, interest quemadmodum sit longa. si enim natura longa est brevisque ultima, media flectitur, ut *Cethêgus Mancînus*, si vero media longa erit natura et extrema longa, media acuetur, ut *Catóni Ciceróni,* vel si positione longa erit media, acuta durabit qualiscumque novissima fuerit, ut *Catúllus Catúllo*, *Metéllus Metéllo.* pronomina autem quae duplici modo declinantur, id est aut corripiunt aut producunt[1]) mediam syllabam in genitivo casu, variant, ut *ipsius*, *illius*: horum si secundae breves fiant, primae acutae erunt, ut *ípsius, íllius.* si vero longae erunt mediae, primae graves secundae inflexae erunt, ut *ipsîus illîus* [*óccidit sol* et *occîdit hominem*]. ergo primae acutae sunt, cum mediae breves, cum vero mediae longae, vel acutae vel inflexae: acutae, cum longae ultimae[2]). At[3]) *tenebrae, latebrae*, *manipli* haec a superioribus [quae sunt alia ut Catullus Sallustius] hoc differunt, quod illa consonantes discretas habent, haec quamvis et ipsam paeneultimam positione habent longam, nullam tamen in secunda syllaba ex consonantibus sibi retinent, sed in tertia sunt duae; ideoque factum est, ut media haec nomina *tenebras* et *latebras*

---

[1]) *corripiunt aut producunt* scripsi pro *corripiuntur aut producuntur* (cf. Iuergensenus l. s. s. p. 78 sq.); itemque post *inflexae erunt ut* addidi *ipsîus illîus* deletis verbis *occidit* — *hominem.* Praeterea leni mutatione pro *casu acuunt ipsius* scripsi *casu uariant ut ipsius.* Nam Iuergensenus, etsi recte Diomedis locum contulit (CXXVII[a]), tamen cum utroque loco pro *id ostendunt ut* vel *acuunt* proponeret *accentu id ostendunt ut,* ipsos scriptores, non eorum contextum correxisse videtur (cf. CXXVII adn.).

[2]) Melius procederet oratio, si post *ultimae* adderetur: *aut positione longae paenultimae.*

[3]) *At* scripsi pro *ut*, quod perverse cum verbis *acutae cum longae ultimae* coniungunt; fortasse tamen interciderunt exempla.

gravi[1]), acuto accentu prima syllaba proferret, at *maniplos* [et fenestras][2]) paeneultima acuta diceret usus[3]): quod quidam illud genus syllabae paeneultimae omnino breve putaverunt, quia non terminaretur consonante, quidam longum[4]) quia licet non terminaretur consonante, proxima syllaba a duabus inciperet consonantibus, et quod natura litterarum L et R quia mollis est, nunc longam nunc brevem syllabam faciat.

LXXI° [Priscianus] de acc. 12; 13 p. 521, 16 K.
Trisyllabae namque et tetrasyllabae sive deinceps, si paenultimam correptam habuerint, antepaenultimam acuto accentu proferunt, ut *Túllius*, *Hostílius*; nam paenultima si positione longa fuerit, acuetur, antepaenultima vero gravabitur, ut *Catéllus*[5]), *Metéllus*. si vero ex muta et liquida longa in versu esse constat, in oratione quoque accentum mutat, ut *latébrae*, *tenébrae*. syllaba vero ultima si brevis sit et paenultimam naturaliter longam habuerit, ipsam paenultimam circumflectet, ut *Cethêgus*, *perôsus*; ultima quoque si naturaliter longa fuerit, paenultimam acuet, ut *Athénae*, *Mycénae*.

LXXI^p Isidorus etym. I, 17, 4; 5.
Trisyllaba pars orationis si mediam brevem habet, ut *tibia*, tunc primam acuimus: si vero naturaliter longam habet secundam, et ultimam brevem, ut *Romanus*, tunc mediam circumflectimus.

---

[1]) *gravi* addidi; nam *media* pro *dimidia* dictum esse, quod Eyssenhardtus voluit, cum per se non est veri simile, tum eam ob causam non possum accipere, quam proxima declarabit adnotatio.

[2]) *et fenestras* cum non nisi hoc loco exstet, Eyssenhardtus post *manipli* lacunam statuit, qua exciderit *fenestrae*, approbante Iuergenseno l. s. s. p. 79. Sed haec vox cum a sententia loci aliena sit, potius delenda est, nisi forte *ut fenestras* praeferes. Ex eadem ratione verba *quae sunt — Sallustius* cum Eyssenhardto pro additamento habui, cum Iuergensenus tantummodo verba *ut Catullus Sallustius* deleret, transpositis *et quae s. a.* ante *haec a superioribus*.

[3]) *diceretur* cod. ed. Sed ita non solum ad *proferret* subiectum requiritur, sed etiam *maniplos* accusativus non habet quo referatur; quare *usus* restitui (cf. Serv. ad Aen. XI, 463 LXXI^g) simpliciore emendatione, quam qua Iuergensenus scripsit coll. Diomede (LXXII^a) *ut varie media haec nomina consuetudo pronuntiaret et tenebras et latebras acuto . . . . diceret.*

[4]) *longum* recte addidit Iuergensenus l. s. s.

[5]) *Catellus* GH; *Catullus* ed. Sed qui soni causa *pax* inter monosyllaba correpta rettulerit (v. LXIX^m adn.), eum vel *Catelli* forma eadem ratione usum esse putaverim, de qua haec habet Servius ad Verg. Aen. VII, 672: *Catillus*, *unde mons Catilli dicitur*, *quem Catelli dicunt per corruptionem; iuxta Tibur.*

tetrasyllaba autem et pentasyllaba ratione trisyllabarum retinentur. gravis accentus cum uno accentu poni potest in dictione una; cum utrisque numquam [ut *Càtúllus*].

Diomedes p. 432, 6 K. LXXII[a]

Exponendum etiam placuit qui pedes acuto tenore aut circumflexo de ratione[1]) supra scripta congruunt. omnis pars orationis quae possit infra scriptos pedes conplere hanc accentus legem continet. in disyllabis partibus orationis prior syllaba semper acuitur aut inflectitur. acuitur si pyrrichium conpleverit, sicut *púer, bónus, ámor*; item spondium indifferenter positum si habuerit, id est sive natura sit aut positione fuerit longa utraque syllaba, prior acuitur; natura sicut *Cýmae, Thébae, héros*, positione ut *sóllers*. iambum quoque ut *Cáto, Céres*. trochaeum vero legitimum si conpleverit, id est si natura longam priorem syllabam habuerit, circumflectitur, ut *mêta, brûma, praêtor*; sin autem positione longa fuerit prior syllaba memorati pedis, acuitur, ut *púlcher, ásper*. in trisyllabis dactylus indifferenter positus et anapaestus, tribrachys quoque tertiam ab ultima acui desiderat: dactylus natura qui est, sicut *límina, moénia, sídera, Claúdius*; positione qui fit, ut *Sérgius*; similiter anapaestus, ut *Cícero, régio*; item tribrachys ut *álius*; palimbacchius et amphibrachys in paenultima circumflexum habebunt, ita tamen ut sit natura longa eadem paenultima: palimbacchius ut *Românus, legâtus*; item amphibrachys, ut *Cethêgus, Sabînus, monîle*; horum si positione longa fuerit eadem paenultima, mutabit tenorem et acutum habebit accentum: palimbacchius, ut *Marcéllus*; amphibrachys, ut *Metéllus, Catúllus*. bacchius et molossus indifferenter positi paenultimam semper acuunt, bacchius legitimus, sicut *Athénae, Fidénae*, positione, ut *tabéllae, fenéstrae*. huius autem pedis si paenultima positione longa ita fuerit, ut excipiatur tam ex muta quam ex liquida, accentus transfertur ad tertiam ab ultima, ut *ténebrae, látebrae*, quod quidam hoc[2]) genus syllabae paenultimae omnino breve putabant, quia non terminatur consonanti, quidam longum, quoniam quamvis non

[1]) *iteratione suprascripta* ABM, Putsch. *item ratione s. s.* Keil. Sed *item* praeter rem dicitur; itaque *de* pro *ite* scripsi.

[2]) Keilius *quod* delevit; sed cf. LXXI[n]: *quod quidam illud*.

terminetur consonanti nihilominus proxima syllaba a duabus incipiat consonantibus et quod natura litterarum b et r, quae mollis est, nunc longam nunc brevem syllabam efficiat. ideoque factum est, ut varia haec nomina consuetudo pronuntiaret et *ténebras*, *látebras* acuto accentu prima syllaba efferret. molossus item semper acuitur, ut *Románi*. in tetrasyllabis autem et deinceps eadem accentus ratio semper custoditur. monosyllaba fere quaecunque sunt verba prototypa *o* litteram tam versu quam etiam prosa similiter productam habent. (monosyllaba — habent = Charisius p. 16, 23 K.)

LXXII[b] Cledonius[1]) p. 32, 29 K.

Ratio accentuum. Tribrachys, ut *macula*, in antepenultima acutum habet. molossus ut † natura sive positione in antepenultima[2]) acutum habet. anapaestus, ut *Erato*, quovis modo in antepenultima acutum habet. in dactylo[3]) in antepenultima acutus ponendus sive natura sit sive positione longa. in bacchio vero in penultima invenitur acutus accentus sive illa positione sit longa sive natura. palimbacchius, qui et antibacchius, ut *natura*, quovis modo in penultima acutum habet. amphibrachys, ut *carina*, in penultima circumflexum habet, si natura longa, si positione, acutum, ut *carecta*. amphimacrus, ut *insulae*, quovis modo in antepenultima acutum habet. quinque sunt hi pedes ergo qui quovis modo in antepenultima acutum habent: tribrachys molossus anapaestus dactylus et amphimacrus. duo sunt palimbacchius et bacchius tantum, qui quovis modo in paenultima acutum habent. unus est amphibrachys, qui in penultima, si natura longa fuerit, circumflexum recipit, si positione, acutum. in amphibracho haec est ratio: huius penultima si positione longa fuerit, acutum habebit accentum, si natura, circumflexum. providendum est autem, ut penultima amphibrachi positione fiat longa: nam si ex muta et liquida fuerit facta positio penultimae, acutus in antepenultimam transit.

---

1) Cf. LXX[k] et LXXI[i].

2) *molossus ut naturae, sive natura fiat sive positione* Keilius supplevit ac monente Hageno mutavit *in paenultima*, quod idem retractavit (gr. l. t. V p. 682 K.). Quare nolui quidquam mutare vel supplere in loco turbato.

3) Inter anapaestum et palimbacchium Keilius dactyli et bacchii definitiones excidisse dicit. Non animadvertit igitur et istam antea (LXXI[i]) importune legi, et hanc postea (LXXIII[c]) ab ipso inclusam esse; quas in tanta contextus qua laborat Cledonius conturbatione non dubitavi huc transferre.

Terentianus Maurus v. 1342. LXXIII[a]

Una longa non valebit edere ex sese pedem;
Ictibus quia fit duobus non gemello tempore.
Brevis utrinque sit licebit, bis feriri convenit;
Parte nam attollit sonorem, parte reliqua deprimit.
(Ἄρσιν hanc Graeci vocarunt, alteram contra θέσιν:)
Una porro bis feriri quando poterit syllaba?

Servius c. in Don. p. 425, 7 K. LXXIII[b]

Arsis dicitur elevatio, thesis positio. quotienscumque contingit, ut tres sint syllabae in pede vel quinque, quoniam non licet in divisione temporum syllabam scindi, sed aut principio adplicatur aut fini, idcirco debemus considerare, media syllaba cui parti coniungi debeat. et hoc ex accentu colligimus. nam si in prima syllaba fuerit accentus, arsis duas syllabas possidebit; si autem in media syllaba, thesi duas syllabas damus.

Servius de fin. p. 451, 9 K. = Beda de metr. rat. p. 2358 P. LXXIII[c]

Medias syllabas tribus modis cognoscimus, positione et diphthongis et accentu. sed de positione et diphthongis supra tractavimus . . . . . sciendum est tamen quia illa, quae in verbis *i* correpta proferuntur, cum in medium venerint et ipsam *i* in *e* mutaverint, ut *legis lege legere*, ubique breviantur excepto cum a tribus excipiuntur consonantibus: *b* et *m* et *t*, ut *legêbam legêmus legêtur*. cetera melius accentibus colliguntur, qui accentus in trisyllabis et tetrasyllabis et deinceps ita considerandus est, ut si quaeratur *amicissimorum* quibus syllabis constet, et dicimus primam brevem exemplo, ut *nimium dilexit amicum* secundam longam accentu[2]) invenimus; tertiam positione longam, quartam brevem accentu, quia cum dicimus *amicissimus* paeneultimam cum brevi accentu invenimus; quintam longam accentu; ultima vero qualis sit per singulas partes orationis monstrabunt rationes subiectae. Cf. [Maximus Victorinus] de fin. p. 231, 3 K.

---

[1]) Cf. LXX[f] et LXXI[e].

[2]) Sic cod. Leid.; Keilius cum ceteris *cum longo accentu* contra rationem huius loci: cf. supra *accentibus colliguntur* et deinde: *exemplo — positione — accentu*.

LXXIII[d] Pompeius[1]) p. 120, 31 K.

Arsis et thesis dicitur elevatio et positio; ut puta *Roma. Ro*[*ma*] prima syllaba arsin habet, secunda syllaba thesin. quid si quattuor syllabarum fuerit? duae erunt in arsi et duae in thesi. quid si octo? quattuor habet arsis et quattuor thesis. quid si tres sunt, id est quid si impar numerus fuerit? si impar numerus fuerit, quotiens media syllaba accentum habet, arsis habebit unum tempus et thesis duo. quotiens prior syllaba habuerit accentum? arsis habebit duo tempora et thesis unum; ut puta *Camillus* quando dicimus, ecce media syllaba accentum habet: dicimus, in arsi unum et in thesi duo. *Romulus* quando dicimus, prima syllaba habet accentum: dicimus duo in arsi, unum in thesi. ergo in istis ubi non sunt aequales syllabae, quando debeat arsis duo habere tempora, unum thesis, vel quando unum arsis et duo thesis, ex accentu colligis. nam si media syllaba accentum habuerit, ultimae syllabae iungis plura tempora, ut arsis habeat unum, thesis duo; si prior syllaba habuerit accentum, arsi iungis plura tempora.

LXXIII[e] Pompeius p. 124, 19 K.

Iambus duplam habet divisionem: unum habet arsis, duo thesis; trochaeus: duo in arsi, unum in thesi. molossus sex habet tempora, sed quattuor habebit arsis, duo thesis. idcirco duo illae longae aut ad arsin adplicandae sunt aut ad thesin. item tribrachus: duae erunt in arsi, una in thesi. quod dixi *aut duae aut duae*? propter illos accentus[2]). nam diximus superius quando in media syllaba accentus fuerit, thesis habet plura tempora; quando in prima, arsis habet plura tempora . . . . . (p. 125, 4 K.) amphibrachus non potest servare divisionem; quare? quia habet brevem et longam et brevem. istam longam quo habes addere? ad initium? si ad initium tria et unum erit, nulla divisio est; si ad finem, unum et tria erunt. ecce non habet divisionem.

LXXIII[f] Artigraphus Bernensis (An. Helv. p. CCIX H.) = Iuliani exc.[3]) p. 321, 12 K.).

Quid est arsis? elevatio, id est inchoatio partis; quid est thesis? positio id est finis partis. quomodo? puta si dicam *prudens* (illud) *pru* elevatio est, (illud) *dens* positio. in trisyllabis et tetrasyllabis pedibus quot syllabas (sibi) vindicat arsis et quot thesis? in trisyllabis si in prima habuerit accentum, ut puta *dóminus*, duas syllabas vindicat arsis (et unam thesis. nam si paenultimo loco habuerit accentum, ut puta *beâtus*, arsis vindicat unam syllabam et thesis duas). sic et tempora secundum quantitatem syllabarum sibi vindicabunt.

---

[1]) Cf. LXX[h].

[2]) *quod dixi aut duae aut duae, propter illos accentus* cod. Keil. *propter illarum accentus dixi* Lindem.

[3]) Inclusi quae Iulianus addidisse videtur.

[Priscianus] de acc. 13 p. 521, 24 K. LXXIII[g]
Ad hanc autem rem arsis et thesis sunt necessariae. nam in unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt, non in ordine syllabarum sed in pronuntiatione: velut in hac parte *natura* quando dico *natu* elevatur vox et est arsis intus, quando vero sequitur *ra*, vox deponitur et est thesis deforis. quantum autem suspenditur vox per arsin, tantum deprimitur per thesin. sed ipsa vox, quae per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arsin deputatur; quae autem post accentum sequitur, in thesin. (his namque praelibatis de consequentia huius libri videamus).

Donatus p. 371, 22 K. = Diomedes p. 433, 30 K. LXXIV[a]
In conpositis dictionibus unus accentus est non minus, quam in una parte orationis, ut *malesânus, intereáloci.*

Pompeius p. 130, 18 K. LXXIV[b]
Modo aliquid adicit. quod si forte duae partes orationis sunt, unum accentum habebunt, si in unam redigantur. ut puta *male* una pars orationis est, *sanus* una pars orationis est; sed quoniam istae non pro duabus sunt, sed pro una, incipimus dicere *malesânus*; colligimus utramque et iam unum accentum habebunt. quotienscumque duae partes orationis in unam colliguntur, iam quoniam pro una sunt, unum accentum habebunt, prout fuerit syllaba illa. si dicas *interea loci, interea* una pars orationis est, *loci* una pars orationis est. quando iam sic utramque dicis, ut pro una sint, ambae partes unum habebunt accentum. ergo duae partes orationis quando unam faciunt, necesse est ut unum accentum habeant.

Cledonius p. 33, 12 K. LXXIV[c]
In conpositis: quotienscumque ex pluribus partibus nomina composita reperimus, non nisi in tribus syllabis accentum quaerimus. in compositis sermonibus aeque unus accentus invenitur, sicut et in simplicibus, quia in tribus syllabis invenitur accentus. [in bacchio vero in penultima invenitur acutus accentus, sive illa positione sit longa sive natura][1]) in *interealoci*[2]) in antepenultima est.

Cf. Isidorus etym. I, 17, 5.

Martianus Cap. III p. 65, 22, Eyss. LXXIV[d]
Omnis igitur vox latina, simplex sive composita, habet unum sonum aut acutum aut circumflexum. duos autem acutos aut inflexos habere numquam potest, gravis vero saepe.

---

[1]) Cf. LXXII[b].

[2]) *interea in antepenultima est* cod. Keilius, qui suspicatur: *intercaloci: in antepenultima est accentus.*

LXXV Martianus Cap. III p. 68, 15 Eyss.
Sciendum etiam uni vocabulo accidere[1]) omnes tres accentus posse ut est *Árgilêtum.*

LXXVI[a] Priscianus XVII, 9 p. 113, 10 H.
Etiam divisa possunt coniungi, ut *maléfida, argilêtum, huiúsmodi, malesâna.*

LXXVI[b] Charisius p. 201, 3 K.
Interea loci. Terentius in Eunucho *interea loci,* ubi Acron 'quaeritur', inquit, 'quo accentu dici debeat *interea loci*'.

LXXVI[c] Donatus in Ter. Eun. II, 2, 24 (255).
Dum haec loquimur, interealoci ad macellum ubi adventamus]
Intereáloci: duae partes orationis, cum coniunctae unam fecerint, mutant accentum.

LXXVI[d] Donatus ad Ter. Ad. V, 5, 7 (878).
Hoc verumst et re ipsa experiere propediem]
Propédiem ὑφέν; nam propediem adverbium est temporis, ut si diceret *cito.*

LXXVI[e] Servius ad Verg. Aen. IV, 8.
Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem]
Non plene sana, amore vitiata; *male* enim plerumque *non* plerumque *minus* significat . . . . . [et quidam nolunt[2]) ὑφέν legere nec esse compositum verbum, quia composita unum plerumque corrumpant necesse est, ut *malesuada*[3])].

LXXVII Priscianus V, 56 p. 177, 10 H.
Figura quoque dictionis in quantitate comprehenditur: vel enim simplex est, ut *magnus,* vel composita, ut *magnanimus,* vel decomposita, quam Graeci παρασύνθετον vocant, id est a compositis derivata, ut *magnanimitas,* quae rationabiliter separatim accepta est figura a Graecis; neque enim simplex poterit esse, quae a composita derivatur dictione, neque composita, quia quod suum est compositorum non habet, id est ut ipsa per se ex diversis componatur dictionibus separatim intellegendis sub uno accentu et unam rem suppositam [id

---

[1]) *accedere* cod. ed.

[2]) *nolunt* scripsi pro *volunt,* quod e cod. Bern. 172 confirmavit G. Thilo.

[3]) An *malisuada*?

est significandam] accipiat, ut est *respública iusiurándum* et talia. una est enim res supposita, duae vero voces diversae sub uno accentu prolatae, quas invenis separans compositum, etiamsi sit a corruptis compositum, ut est *parricîda.* hoc enim ipsum per se compositum quaerentes ex quibus dictionibus est, invenimus divisione facta eas per se intellegendas: dicimus enim a *parente* et a verbo *caedere,* quae utraque per se integra sunt et intellectum habent plenum, quod in decompositis fieri non potest. si enim dicam *magnanimitas* compositum est a *magno* et *animitate* nihil dico, *animitas* enim per se non dicitur. necesse est ergo dicere quod *magnanimus* quidem compositum est a *magno* et *animo,* quae sunt intellegenda per se, a *magnanimo* autem derivatum est *magnanimitas.*

Priscianus V, 61 p. 180, 12 H. LXXVIII[a]

Et est sciendum quod si duo sint nominativi, ex utraque parte declinatur compositum, ut *respublica reipublicae, iusiurandum iurisiurandi,* quod Graeci numquam faciunt in compositis. dicunt enim oportere compaginem, qua cohaerent in compositione dictiones, immobilem manere. hoc igitur non servantes Latini[1]) divisorum quidem utimur declinatione, accentu tamen compositorum. in omni enim casu sub uno accentu ea proferentes, composita esse ostendimus, et possumus dicere per singulos casus ea componi. quod dicentes non videmur contra supra dictam Graecorum de compagine rationem facere. nec mirum apud nos per singulos casus nomina componi, cum apud illos quoque inveniuntur etiam verba quaedam, quae per diversa tempora componuntur, ut καταγράφω κατέγραφον, ἀναγινώσκω ἀνεγίνωσκον: nam si a praesenti καταγράφω dicam nasci κατέγραφον, incipit labefactari compago compositionis, quod recusat ratio.

Priscianus V, 66; 67 p. 183, 5 H. LXXVIII[b]

Invenimus per omnes fere casus composita, ut *iurisperitus, legislator, praefectusurbis* et *praefectusurbi, tribunusplebis* et *tribunusplebi, agricola* [agrum colens], *caelicola* [caelum colens], *macte* id est *magis aucte* — antiqui tamen et *mactus* dicebant —, *mentecaptus.* et singularia cum pluralibus componuntur, ut

[1]) *Latini* delevit Hertzius.

orbisterrae et *orbisterrarum*, *paterfamilias* et *paterfamiliarum*, *armipotens*, *armorumpotens*, *magistermilitum*, *asecretis*, *acalculis*, *aresponsis*, *abactis*. possunt tamen haec eadem etiam separata esse, si diversos accentus his dederis vel interponas coniunctiones, ut *resque publica*, *populusque romanus*, *tribunusque plebis*.

Cf. Alcuinus a. gr. p. 2099 P.

LXXVIII[c] Priscianus VIII, 88 p. 440, 2 H.

Per singulos casus fit compositio eorum (sc. nominum) ut *respublica reipublicae*; *respublica* quidem ex duobus nominativis, *reipublicae* vero ex duobus genetivis vel dativis; similiter *iusiurandum iurisiurandi*, *virillustris viriillustris*, *magisterequitum magistriequitum*, *tribunusplebis tribuniplebis*, *quisque cuiusque*, quae composita esse ostendit accentus. quod autem non est nominativorum proprium, sed etiam obliquorum casuum per se componi, ostendunt nomina vel pronomina, quae per obliquos componi inveniuntur solos, ut *istiusmodi*, *huiusmodi*, *cuiusmodi*.

LXXVIII[d] Priscianus VI, 13 p. 205, 16 H.

De *huiuscemodi*, *istiusmodi*, *illiusmodi* et aliis talibus multi dubitaverunt, utrum composita sint an non; sed ea composita esse ipse accentus docet, qui in fine praecedentis dictionis poni non posset, nisi essent composita. ideo autem indeclinabilia sunt, quia utraque pars genetivum casum habet.

Cf. Priscianus XVII, 132 p. 175, 6 H.

LXXVIII[e] Priscianus de fig. num. 21 p. 413, 11 K.

A *vicesimo* et supra maiori minorem addunt numero plerumque, ante *decem* vero minorem ponunt, quando composita accipiuntur et sub uno accentu proferuntur. nam licet dissoluta compositione diversis accentibus ea proferentes mutare ordinem, quomodo et apud Graecos, et dicere *decimus et septimus* pro *septimusdecimus* et *tertius et vicesimus* pro *vicesimustertius*; sic et similia.

LXXIX E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 184, 27 H.)

Duas etiam partes vide deinceps, ne sub uno accentu pronunties, id est *vérum támen*, quod nihil est aliud quam *set tamen*, *et tamen*, *et quidem*; sic *verum tamen* ut duae partes efferendae sunt.[1])

[1]) Cf. XCIII; CXIV; CXXIII; CXXIV.

CAPUT VI.

Accentuum regulas quid conturbet. — De Barbarismo.

Donatus p. 371, 25 K. = Diomedes p. 433, 35 K. LXXX[a]
Accentuum legem vel distinguendi vel pronuntiandi ratio vel discernendae ambiguitatis necessitas saepe conturbat.

Sergius de acc. [in Don.] p. 483, 35 K. LXXX[b]
Accentuum autem saepe dissipat legem vel distinctio, ut, cum debeat dici sub hyphen *malesânus*, male quis distinguendo dicat separans *mále sânus*; vel pronuntiatio, ut cum dicere debeamus *látebras*, legendo versum quis dicat *impulerat ferro Argolicas foedare latébras*, acute producens; vel necessitas separandi verba similia, ut, cum dicere debeamus *pône*, ut paeneultima habeat accentum, quia nullum Latinum verbum est in ultima syllaba habens accentum, necessitate ducti, ne putetur modus imperativus ab eo quod est *pono*, dicamus *poné*, ut adverbium significet loci: vel similiter *ergô*, ut intellegatur pro eo quod est *causa*, ut in Vergilio *illius ergô venimus*, id est *illius causa venimus*.

Cf. e cod. Bern. 123 (An. Helv. p. XXXIII H.)

Pompeius p. 130, 28 K. LXXX[c]
Diximus regulas accentuum. modo videamus quae sunt res, quae corrumpunt regulas. tres sunt tantum: distinctio, discretio, pronuntiatio; hae tres res corrumpunt regulas. quoniam diximus, *distinctio corrumpit regulas*, videamus quomodo. si male distinguas, potest errare puer et dicere *intérea lóci* et facere inde duas partes orationis, cum debeas subter facere hyphen. quid sit autem hyphen, dicemus postea. ergo debes hyphen deorsum facere et conectere utramque. si dicas *viridique in litore conspicitur sus*, potest de istis duabus unam facere. ergo distinctio corrumpit istas regulas. item discretio potest id est[1]) causa discretionis corrumpere istas regulas, ut *pône* et *poné*. si dixeris *poné* erit praepositio, si dixeris *pône* erit verbum imperativi modi. ecce propter discretionem corrumpunt regulas. quare *corrumpunt*? quia diximus nullam partem esse orationis, quae in ultima parte habeat accentum, et invenimus duas [pône] et *poné* [érgo] et

---

[1]) *id est* post *potest* addidi; *causa discretionis* delevit Keilius.

ergô[1]): sed non naturaliter habet illa ultima syllaba accentum, sed propter discretionem. nam quo modo potest fieri, ut ista ultima habeat accentum, cum dixerimus in ultima syllaba numquam inveniri posse accentum? nam quando dicimus *poné* ultimam habere acutam[2]), non ideo dicimus, quia sic debet dici, sed ut sit discretio. item quando dicimus *ergô*, non ideo dicimus, quia sic debet dici, sed ut sit discretio. item quando dicimus *ergô* non ideo dicimus, quia sic debet dici, sed ut sit discretio propter *érgo* coniunctionem [suam][3]). ideo in ultima syllaba inveniuntur accentus. ergo istae sunt duae partes tantum, quae causa discretionis corrumpunt regulam. pronuntiatio frequenter corrumpit e. q. s.

LXXX^d [Priscianus] de acc. 8—10 p. 520, 25 K.

Tres quidem res accentuum regulas conturbant: distinguendi ratio, pronuntiandi ambiguitas atque necessitas. sed qualiter haec fiant intimandum est. ratio namque distinguendi legem accentuum saepe conturbat, siquis pronuntians dicat *poné* et *ergô*, quod apud Latinos in ultima syllaba nisi discretionis causa accentus poni non potest: ex hoc est, quod diximus *poné* et *ergô*. ideo *poné* dicimus, ne putetur verbum esse imperativi modi, hoc est *pône*; *ergô* ideo dicimus, ne putetur coniunctio rationalis, quod est *érgo*. ambiguitas vero pronuntiandi legem accentuum saepe conturbat, ut[4]) siquis dicat *interealoci*, qui nescit, alteram partem dicat *intérea* alteram *lóci*, quod non separatim sed sub uno accentu pronuntiandum est, ne ambiguitatem in sermone faciat. necessitas pronuntiationis regulam corrumpit, ut puta siquis dicat in primis *dóctus*, addat *que* coniunctionem dicatque *doctúsque* — ecce in pronuntiatione accentum mutavit, cum non in secunda syllaba, sed in prima accentum habere debuit. sunt quidem syllabae tres, in quibus accentus producitur: *que, ne, ve*, ut *itáque* quando adverbium est, quando vero coniunctio *ítaque* dicimus, *venerúntne viri ad nos? carbonibúsve lumbos assarunt.*

LXXXe De tonis in Don. (An. Helv. p. 228, 33 H.)

. . . . . et proprietatem. Ordo est: Conturbat saepe i. frequenter commovet accentuum legem, vel ratio distinguendi i. dividendi; verbi gratia si quis legens *male sanus* dividat in duos accentus, ut *mále* unum accentum habeat et *sânus* alterum,

---

[1]) *poné et pône ergô et érgo* Keil.

[2]) *acutam* scripsi pro *accentum*; *ultimam — accentum* delevit Keilius.

[3]) *suam* delevi; Keilius *rationalem* substituit; an *synonymam*?

[4]) *ut* inserui; Keilius: *conturbat, si quis dicat interea loci: qui nescit, alteram partem dicat interea, alteram loci, quod non* cet. Christius (Philol. t. XVIII (1862) p. 158) ita transposuit: *conturbat, si quis dicat intérea lóci alteram partem intérea alteram lóci* (*qui nescit quod non separatim sed sub uno accentu pronuntiandum est*) *ne ambiguitatem in sermone faciat.*

cum potius sub uno accentu pronuntiandum sit. vel pronuntiandi ratio i. enuntiandi, quando aliquis *pharétra* et *tenébrae* et similia dixerit acuto in paenultima posito, cum in antepaenultima ponendus sit; vel etiam sequentibus quattuor particulis i. *ve ne ce que*, accentus in ultimo improprie ponitur, ut *dixítque*, *putásne*, *verbóve*, *huiúsce*; vel discernendae ambiguitatis i. segregandae dubietatis, videlicet dum necessitatis causa ponitur accentus in ultimo loco, sicut in adverbio *poné*, ne putetur verbum esse imperativi et in paenultimo, sicut in nomine quod est *Porséna*[1]) . . . . Discretionis i. separationis divisionis. Pone i. iuxta in quo mutatur et accentus et locus. Ergo ut quidam volunt causam significat, ut *ergo illius veni* i. causa s. illius, a nomine, quod antiqui habebant *ergum ergi* i. causa, cuius ablativus in usu remansit apud nos et in fine circumflectitur. Sed ut Sergius[2]) dicit, melius significat *propter*; sic enim resolvit: *ergo illius veni* i. propter illum.

Quintilianus inst. or. I, 5, 28. LXXXI

Evenit, ut metri quoque condicio mutet accentum, *pecudes pictaeque volucres*: nam *volúcres* media acuta legam, quia etsi natura brevis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus herous.

Varro apud Gellium N. A. XVIII, 12, 8. LXXXII

Varro libris quos ad Marcellum de lingua latina fecit: '*in priore verbo graves prosodiae quae fuerunt manent, reliquae mutant* inquit elegantissime pro *mutantur*.

Gellius N. A. XVII, 3, 4. LXXXIII

(Verba M. Varronis ex l. XXV humanarum, quibus contra opinionem vulgariam interpretatus est Homeri versum: Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται). *Ego* σπάρτα *apud Homerum non plus spartum significare puto quam* σπάρτους, *qui dicuntur in agro Thebano nati. In Graecia sparti copia*

---

[1]) *quod est persona* cod.; Hagen. Utrum *Pórsena* an *Porséna* (*Porsénna*) dicendum esset, ambigebant veteres: cf. CLXIX.

[2]) Cum Sergius de acc. [in Don.] p. 484 K. (LXXX^{b}) *ergo* per *causa* interpretatus sit, Hagenus h. l. fortasse eum, quem t. IV p. 486 sqq. dederit Keilius, intellegi putat, quippe qui eo ipso loco, quo de *ergo* agat (p. 525, 12 K.), lacunam passus sit; sed illo loco nil nisi in cod. L *ergo* vox intercidit, quam et cod. O et Victorinus praebent. Spectat grammaticus ad Servium in Aen. VI, 670 (LXXXIX^{k}), quem ipsum locum hic tractat.

modo coepit esse ex Hispania. Neque ea ipsa facultate usi Liburni; set hi plerasque naves loris suebant, Graeci magis cannabo et stuppa ceterisque sativis rebus, a quibus σπάρτα *appellabant.* Quod cum ita Varro dicat, dubito hercle, an posterior syllaba in eo verbo, quod apud Homerum est, acuenda sit, nisi quia voces huiusmodi, cum ex communi significatione in rei certae proprietatem concedunt, diversitate accentuum separantur[1]).

LXXXIV[a] Donatus p. 387, 4 K.

Sunt multae dictiones dubiae inter adverbium et nomen, ut *falso*; inter adverbium et pronomen, ut *qui*; inter adverbium et verbum, ut *pone*; inter adverbium et participium, ut *profecto*; inter adverbium et coniunctionem, ut *quando*; inter adverbium et praepositionem, ut *propter*; inter adverbium et interiectionem, ut *heu*. horum quaedam accentu discernimus, quaedam sensu[2]).

LXXXIV[b] Diomedes p. 405, 28 K.

Sunt adverbia aut cum nominibus communia, ut *subito, sedulo*; aut cum pronominibus, ut *qui, quo, hac*; aut cum verbis, ut *age, pone*; aut cum coniunctionibus, ut *quare, si, quamobrem, quando, ne, ut, cum*; aut cum praepositionibus, ut *praeter, ante, prae, contra, propter*; aut cum interiectionibus, ut *em, heu, eho*; aut pro se invicem, ut *ubi, quando, maxime, tum, ut, hic, denique.* haec aut sensus aut plerumque inter se discernit accentus.

LXXXV Pompeius p. 251, 32 K.

Ergo omnes partes orationis cum adverbio cognationem habent. sed plane, ait, in his rebus aliqua discernimus accentu, sensu aliqua. nam ecce, ut intellegam *profecto*, quando est participium, quando adverbium, sensu discerno. ut autem intellegam *pone*, hoc non solum discerno sensu, sed etiam accentu. ergo in plerisque significatio erit ex accentu, in plerisque erit ex sensu.

LXXXVI Qu. Terentius Scaurus de orth. p. 2259 P.

Artibus autem et *artubus* quidam variaverunt, et per *i* qui-

---

[1]) Hunc locum, quamquam proprie huc non pertinet, nolui tamen praetermittere, quia satis idoneus est ad grammaticorum rationem demonstrandam.

[2]) Cf. p. 389, 13 K.: 'sunt etiam dictiones, quas incertum est utrum coniunctiones an praepositiones an adverbia nominemus, quae tamen omnes sensu facile dinoscuntur'.

dem dativo et ablativo plurali scribi putaverunt, quotiens ab *arte* descenderet, ut sit *ars artis artibus, artubus* autem per *u*, quotiens ab eo quod essent *artus*; unde apud Lucretium legunt *hinc nova proles Artubus infirmis teneras lasciva per herbas.* quod si distinctionis causa ratio corrumpitur, caveas quoque quare non accentu aut littera immutamus *[1]), cum et verbum et nomen significetur, et in hoc *tectis*, cum et nomen et participium sit, et in similibus. Ergo vox scribenda quomodo et sonat, nemo autem umquam tam insulse per *u artubus* dixerit.

Priscianus VII, 15 p. 298, 20 H. LXXXVII

In pluribus autem invenis differentiae causa huiuscemodi quasdam fieri syllabarum vel literarum additiones vel ademptiones vel accentuum mutationes.

Priscianus XIV, 41 p. 47, 4 H. LXXXVIII[a]

Nec mirum accentum vel ordinationem differentiam facere praepositionibus et adverbiis, quamvis easdem habeant syllabas, cum hoc in aliis quoque partibus inveniatur, ut *pone* verbum et adverbium sive praepositio accentu discernitur, similiter *verum* coniunctio et nomen, *sine* praepositio et verbum, *ergo* causalis et rationalis coniunctio; in multis quoque aliis hoc invenies.

Priscianus IX, 5 p. 454, 5 K. LXXXVIII[b]

Ferò per concisionem, id est syncopen, *i* literae secundam et tertiam facit personam: *fero fers fert* pro *feris ferit*, quod puto differentiae causa fieri, ne si *feris ferit* diceremus, putaretur ab eo esse quod est *ferio feris*, cum nulla scripturae esset differentia, quamvis temporum syllabicorum esset. hoc autem in multis solet fieri dictionibus, ut praeter regulam habeant declinationes vel accentus differentiae causa, ut *coniunx coniugis* pro *coniungis*, ne verbum putetur esse, et *nostrâs* ultima circumflexa quando est nominativus singularis ad differentiam pluralis accusativi.

Priscianus de acc. 47 p. 528, 23 K. LXXXVIII[c]

Adverbia namque quae *e* terminantur, breviantur in paenultima,

---

[1]) Lacunam indicavi, qua interciderit exemplum verbi et nominis homonymi, velut *ut in hoc sedes* vel tale quid.

ut *hodĭe sedŭle*; quae a nomine veniunt, producuntur, ut *Tulliāne Marciāne*; si *im*, producuntur, ut *meātim tuātim*; si *i*, breviantur, ut *vesperi*; si *o*, causa differentiae in ultimo servant accentum, ut *falsô*; si *a*, similiter, ut *unâ*, ne putetur esse nomen; si *as*, in ultimo, ut *aliâs*, ne nomen esse videatur; si *er*, breviantur, ut *brevĭter*; si *l*, similiter, ut *edepol*; si *c*, in ultimo, ut *illîc*; si *us*, breviantur, ut *funditus*.

LXXXIX[a] Festus p. 249 M.

Pone gravi sono antiqui utebantur pro loci significatione. Sed praeicientes vocabuli . . . . .

Cf. Paulus p. 248 M.

LXXXIX[b] Paulus p. 82 M.

Ergo correptum significat idem, quod apud Graecos οὐκοῦν; producte idem quod χάριν hoc est *gratia*, cum scilicet *gratia* intelligitur pro *causa*. sed illud superius etiam sine exemplis notum est; hoc inferius sic formatur, cum dicimus de aliquo *statua donatus est honoris virtutisque ergo* id est *honoris virtutisque causa*.

LXXXIX[c] Donatus p. 371, 28 K.

In Latinis neque acutus accentus in ultima syllaba poni potest, nisi discretionis causa, ut in adverbio *poné* ideo, ne verbum putetur imperativi modi; neque circumflexus, nisi in ea particula, quae est *ergô*.

Cf. Pompeius p. 251, 12 K.

LXXXIX[d] Diomedes p. 433, 5 K.

In Latinis neque acutus accentus in ultima syllaba potest poni, nisi discretionis causa, ut in adverbio *poné* ideo, ne verbum putetur, et in quibusdam praepositionibus.

LXXXIX[e] Dositheus p. 9, 2 K. = Victorinus de a. gr. p. 193, 17 K.

Utrumque latinus sermo non patitur (sc. ultimam acui vel circumflecti) nisi admodum raro, sensus discernendi gratia, ut occurrit *ergô* coniunctio, in qua posterior circumflexa deprehenditur, item adverbium *poné* posteriore acutum recipit, ne sit verbum.	Ἑκάτερον ὁ ῥωμαικὸς λόγος οὐκ ἐπιδέχεται, εἰ μὴ πάνυ ἀραιῶς χάριν τοῦ διελεῖν τὸν νοῦν, ὡς ἀπαντᾷ ὁ *ergô* cύνδεcμος, ἐν ᾧ ἡ τελευταία περιcπωμένη καταλαμβάνεται. ὁμοίως ὡς τὸ ἐπίρρημα *poné* τῇ ὑcτέρᾳ ὀξεῖαν ἀναδέχεται, ἵνα μὴ εἴη ῥῆμα.

Cf. Interr. et Resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 173 et 177).

[Probus] de ult. syll. p. 254, 16 K. LXXXIX[f]
Pone trochaeo constat (sc. praepositio): nam accentu solo ab adverbio discernitur, quoniam interdum in adverbium cadit, ut *pone subit coniunx.*

Servius [Sergius] c. in Don. p. 439, 27 K. LXXXIX[g]
Item verbum plerumque et adverbium est; quando enim dico *pône* prima syllaba accentum habente, erit verbum; quando ultimae syllabae do accentum, erit adverbium.

Servius ad Aen. II, 725. LXXXIX[h]
Pone subit coniunx] *Poné* [post; sed loco tantum, non et tempori adiungitur; et] adverbium est; atque ideo ultima syllaba habet accentum.

Cf. Comm. Einsidl. (An. Helv. p. 261, 13 H.)

Servius ad Aen. III, 3. LXXXIX[i]
. . . . . . [accentus differentiae causa adhibetur, ut *pone* verbum nullum habet accentum] (quia) *poné* tantum [verbum] in ultima habet accentum, ut significet *retro.*

Servius ad Aen. VI, 670. LXXXIX[k]
Illius ergo Venimus] Propter illum [vel causa illius]. *ergo* autem coniunctio fuit, sed per accentus mutationem in adverbium transit: et est sola particula, quae habet in fine circumflexum. multi male putant nomen esse indeclinabile et dicunt positum esse pro *causa*; *causa* autem nomen est, quod ponitur pro ratione; qui casus declinatione caret [graece autem χάριν vel ἕνεκα].

[Sergius] de acc. p. 525, 10 K. LXXXIX[l]
. . . quod utrumque latinus sermo non patitur, nisi raro, ut sola occurrit coniunctio *ergô*, in qua posterior circumflexa invenitur; item adverbium *pone*, ne sit verbum[1]).

Cledonius p. 33, 27 K. LXXXIX[m]
Nisi discretionis causa: tunc in latinis verbis in ultima syllaba accentus invenitur, quotiens fuerit discretio verborum separanda, ut *pone* ideo ne verbum putetur imperativi modi, et *ergo* ne coniunctio intellegatur, quae *causa* significat, ut ultima producatur, in ultima circumflexum recipit[2]). .

---

[1]) Cf. LXXXIX[e].

[2]) Keilius: *separanda, ut ergo* [*ut pone ideo* (cod. *ibi*) *ne verbum putetur imperativi modi*], *ne coniunctio intellegatur, quae causam* (*causa* cod.) *significat, ut ultima producatur, in — recipit.* Hagenus (t. V p. 683 K.) vel magis perturbavit locum, cum sic transponeret: *ut ergo, ne — significat, circumflexum recipit, ut pone ideo ne — modi, in ultima producatur.* — An: *quando causa significat?*

LXXXIX[n] Cledonius p. 68, 33 K.
Pone accentu discernitur, ut[1]) propter discretionem contra regulam ultima accentum accipiat.

LXXXIX[o] Cledonius p. 69, 28 K.
Sic et *pone*, si *retro* significat, circumflexum, si verbum, acutum.

LXXXIX[p] Consentius p. 347, 5 K.
Sed et accentus ostendit diversam significationem unius dictionis: *pone* si verbum est, gravis est ultima; si adverbium, circumflexa. (Cod. Sangerm.: 'Consentius dicit quod pone circumflexum habet in ultima, ita dicens: *accentus* — *dictionis*, quia in accentu discernitur sensus. *pone* — *circumflexa*').

LXXXIX[q] Martianus Cap. III p. 67, 17 Eyss.
Nulla autem vox Romana duarum vel plurium syllabarum acuto sono terminatur, inflexum autem non alias postremum habet, nisi cuius posterior pars in syllabam natura longam excurrit, ut *ergô* et *ponê*[2]).

LXXXIX[r] Priscianus VIII, 5; 6 p. 372, 11 H.
Differentiae quoque causa multa solent vel taceri vel contra regulam proferri, ut *fas* genetivum non habet; nam sive *fatis* seu *faris* vel *fassis* dicamus, aliud potest significare. *coniuñx coniungis* secundum analogiam debuit proferri, sed ne verbum putetur, absque *n* profertur *coniugis*. similiter accentus *poné*, *ergô* differentiae causa in fine ponitur . . . . *fac*, *dic*, *duc*, *fer* magis placuit per apocopam proferri differentiae causa, ne si *face, dice, duce, fere* diceremus, aliud significare putaremur, quamvis hoc non in omnibus consimilibus vel univocis soleat fieri.

LXXXIX[s] Artigr. Bern. (An. Helv. p. CCXXXIII, 15 H.)
Discretio corrumpit regulam accentuum. quomodo? puta si dicam *pone* et *ergo*; inter *pône* et *poné* quid distat? si dixero *pône* et paenultimo loco habuerit accentum, erit verbum imperativi modi. da eius exemplum. *Pône supercilium, si te cognoscis amicum.* nam si ultimo loco habuerit accentum et subsecutum fuerit nomen accusativi casus, erit praepositio. da eius exemplum. *Poné faces caudis circumligas, in sata mittit.* si verbum subsecutum fuerit et in ipsa ultima syllaba habuerit accentum, erit adverbium loci, quod significat *retro, pone.* da eius exemplum. *Poné subit coniux, ferimur per opaca*

---

1) *quando adverbium est* inserere vult Hagenus l. s. s. p. 684 K.

2) *et pone* Iuergensenus l. s. s. p. 94 deleri iussit; sed eandem perversam doctrinam, quam Cledonius Consentiusque, sequi videtur Martianus.

locorum. inter *ergô* et *érgo* quid distat? si ultima syllaba habuerit accentum, erit adverbium prohibentis. da eius exemplum. *Ergo iudicium nihil est, nisi publica merces.* si vero paenultimo loco habuerit accentum, erit coniunctio. da eius exemplum. *Ergo quid hinc agimus? nunc te rogo, celsa potestas.*

Cf. Iulianus Toletanus p. 58 ed. Rom.

Augustinus dial. (t. I p. 195 ed. Mign.). LXXXIX[t]
Acumine ambiguum est, cum scribitur *pone,* utrum ab eo quod est *pono,* an ut dictum *pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem,* incertum est per placentem acuminis locum.

Cf. Augustinus de mus. I, 1 (t. I p. 741 ed. Mign.).

Vergilius gramm. exc. (An. Helv. p. 190, 1 H.) XC
Omnes grammatici dicunt, quod accentus vocis non potest in ultima syllaba esse apud Latinos, nisi in paucis. Vergilius tamen Maro in multis verbis ponit in ultima ita dicens: Non nulli aiunt, quod in uno quoque gressu, id est sono duum pedum [syllabarum][1]) primus elevetur et secundus inclinetur, ut légit, ágit, núbit, vádit. sed nos dicimus, quod rectum esse sentimus, quod non minus reperimus secundos pedes elevari quam primos, ut *egó, amá, docé, audí.* Maxime autem haec diversitas ob similium[2]) sonorum discretionem reperta est, ne confusibilitas aliqua nascatur. dicimus enim nominativo casu *sédes* elevata prima: at si verbum sit, versa vice secundum levantes pedem dicimus *sedés*; sic cum dicitur *réges*, primus erigitur: at cum verbum *regés* secundus pes elevatur: quod non secundum rationem metrorum, sed secundum discretionis aptitudinem facere solemus, sicut etiam * imperativo modo primam acuimus syllabam et novissimam calcamus; at ex diverso, ubi adverbium sit aut praepositio, prima calcatur, novissima acuitur.

Varro apud Martianum Cap. III p. 67, 25 Eyss. XCI[a]
Mutant accentus adiunctis vocibus *que ve ne,* cum tamen complexiva coniunctio est *que, ve* cum expletiva, ut *Latiúmque augescere vultis* et *stimulóve meum cor* apud Accium in Pelopidis. (numquam migrabit acutus sonus de primis syllabis in postremas, praeter particulas coniunctas, quarum hoc proprium est acuere partes extremas vocum quibus adiunguntur.)

---

[1]) *id est* ante *syllabarum* inseruit Hagenus.

[2]) *dissimilium* nescio an operarum lapsus sit apud Hagenum.

XCI^b Diomedes p. 433, 19 K.

Item coniunctio complexiva sive copulativa *que* et disiunctiva *ve* et relativa *ne* adiunctae verbis et ipsae amittunt fastigium et verbi antecedentis longius positum acumen[1]) adducunt et iuxta se proxime conlocant; sic *que*, ut *limináque laurúsque dei*; item *ve*, ut *Hyrcanísve Arabísve parant* et *calathísve Minervae*; *ne*, ut *hominésne feraéne*.

XCI^c Servius ad Aen. I, 116.

Ast illam ter fluctus ibidem] *Ibidem* et *ubinam* multi dubitant ubi esse debeat accentus, quia *ibi* et *ubi* naturaliter breves sunt; sed ratione finalitatis plerumque producuntur in versu[2]) nescientes hanc esse rationem, quia pronuntiationis causa contra usum Latinum syllabis ultimis, quibus particulae adiunguntur, accentus tribuitur: ut *musáque, illéne, huiúsce*, sic ergo et *ibídem*.

XCI^d Servius ad Aen. III, 91.

Liminaque] *que* brevis est pro longa posita; quae hac ratione defenditur. aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, et his licenter uti possumus; aut certe quia omne μόριον, i. e. particula, quae sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis, quod si est, *limináque* quasi una pars orationis est; et potest *que* finalitatis ratione vel produci vel corripi.

XCI^e Servius c. in Don. p. 427, 6 K.

Quattuor sunt particulae, quae corrumpunt in pronuntiando regulas accentuum, hae *ve, ne, que, ce*. nam quotienscumque istae particulae sequuntur, faciunt accentus in ultimis syllabis superiorum esse sermonum, ut *Musáque*, *Musáne*, *Musáve*, *illiúsce*, *huiúsce*.

XCI^f Pompeius p. 131, 16 K.

Pronuntiatio frequenter corrumpit, ut puta *doctus*. quae syllaba habet accentum? *doc*, quoniam prior syllaba semper habet accentum; ultima enim numquam habet aut in versu aut in prosa. adde illi coniunctionem, et vides quoniam prior syllaba perdet accentum, puta *doctúsque Palaemon*; iam incipit non in *doc* esse accentus, sed in *tus*. ecce ultima syllaba habebit accentum. et quae sunt partes, quae additae corrumpunt regulas? non enim omnes corrum-

---

[1]) *acumen* praeter necessitatem in *cacumen* mutavit Keilius. Cf. Iuergensenus l. s. s. p. 81.

[2]) *sed ratione* — *in versu* nescio an recte in suspitionem vocarit G. Thilo; nam verborum nexum admodum conturbant; fortasse *producunt* corrigendum est.

punt, sed sunt partes, quae additae corrumpunt. et sunt istae *ne*, quando est coniunctio, ecce habes unam; *ve*, ecce habes duas; *que*, ecce habes tres; *ce* ecce habes quattuor. istae sunt quae corrumpunt regulas accentuum. puta *primus*, adde omnes istas partes: *primúsne*, ecce non habebit iam accentum *pri* sed *mus*, ecce corrumpit; et si dicas *primusve*, ecce corrumpit; *primusque, primusce*, ecce corrumpit. sed forte dicas mihi *sed positio corrumpit, non accessus istarum partium.* etiam si positio non accederet, tamen corrumperetur accentus. puta *Mûsa, Mû* habet accentum; adde illi istas partes et corrumpitur; *Musáne Musáve Musáque Musáce*: ecce illa quae est brevis ultima ipsa habet accentum. et diximus quia, quando paenultima brevis fuerit, tunc tertia a fine habebit accentum; et tamen ecce corruptam invenimus. ecce vides in quantum valeant istae particulae, in quantum possint, ut, etiam brevis si sit, id est syllaba quae naturaliter brevis est, cogatur habere accentum, non naturaliter, sed causa istarum. nam ecce *Musa*, illa syllaba quae prior est, ipsa habet accentum; si addes *que* aut *ve*, si dicas *Musáque Musáve*, ubiubi contigerit, ibi *sa*[1]) habet accentum.

Priscianus XIV, 3 p. 25, 9 H. XCI[g]

Et praepositiones quidem ante casuales tam in compositione quam in appositione ponuntur, coniunctio vero, nisi in appositione praeponi aliis partibus non potest, ne supponi quidem, excepto *que*, ut *ubique, plerumque, undique, uterque*, in quo tamen possumus additionem magis vel derivationem *que* syllabae, quomodo *ce* quoque solet fieri, factam accipere, quam coniunctionem esse, cum nec significationem suam coniunctionis servat nec legem inclinationis in omnibus: *úndique, útique.*

Priscianus partit. I, 26 p. 466, 1 K. XCI[h]

Que . . . quem habet accentum? haec et aliae duae coniunctiones, *ve* scilicet et *ne*, sunt apud Latinos inclinativae, quas Graeci ἐγκλιτικὰς vocant. solent enim suos accentus in extremam syllabam praecedentis dictionis remittere, ut *virumque, subiectisve, tantone.* sed *ne* saepissime etiam *e* abiciens apostropho notatur, non solum vocali, sed etiam consonante subsequente, ut in decimo Aeneidos *tanton' me crimine dignum?*

Cf. Priscianus partit. III, 77 p. 477, 1 K.

Priscianus partit. VI, 125 p. 488, 19 K. XCI[i]

Que . . . . est autem encliticum et haec et aliae duae coniunctiones, *ve* et *ne*. *ne* autem solet etiam abiecta *e* encliticam

---

[1]) *ipsa habet accentum* ABC. *ultima* post *ipsa* inseruit Keilius.

vim possidere, ut *Pyrrîn tantôn*; quae enclitica id est *que, ve, ne*, praepositionibus ante se positis, non erigunt extremae syllabae fastigium, ut *propterque illum, interve homines.*

XCI[k] [Priscianus] de acc. 46 p. 528, 19 K.

Huîc, nostrâs . . . . retinent namque accentum in ultimo, quem habebant in paenultimo. et non solum haec erant apud eos, verum etiam multa alia, quae differentiae causa vel solo usu dicebantur, ut *egómet feci*: *met* namque adiectio syllabica est in *ego*, ut in aliis *ne, ce*, ut *illiccíne, huiúsce.*

Cf. Alcuinus a. gr. p. 2104 P.; 2139 P.

XCI[l] Interr. et resp. (Mus. Rhen. XVIII p. 177).

Illae quoque particulae notandae sunt *que ve ne*, quae semper aliis partibus subiunguntur, ut *arma virumque, quidve dolens* aut *mene incoepto desistere victam*, quae illam novitatem habent, ut et ipsae fastigium perdant et illarum partium, quis subiunctae sunt, levationem in novissimas syllabas transferant. verbi gratia *virum* in priore acuitur, *virumque* autem in posteriori gravatur, quae non posterior, sed media trium syllabarum in unum reductarum repperitur.

XCI[m] E cod. Bern. 123 (An. Helv. p. XXXIII H.).

Est alia res, quae hanc legem violet? sunt equidem IIII particulae, quas quidam pronuntiationi applicant, id est *que ve ne ce*. quomodo? cogunt enim accentum in ultimam contra legem transire, si[1]) subsecuntur. da exempla: *doctúsque, doctúsve, doctúsne, doctúsce.*

XCII Priscianus V, 63; 64 p. 181, 16 H.

Nec solum tamen in declinationibus nominum hoc contingit (sc. ut trium generum commune velit esse aliquid), sed etiam in accentibus, ut *utérque utráque utrúmque, plerúsque pleráque plerúmque*; femininum enim quamvis paenultima brevis sit, accentum tamen in ea habuit acutum, sicut masculinum et neutrum. *que* enim, nisi separata sit, si Graecos sequimur, coniunctio enclitica esse non debet, nisi illud dicamus, quod *que* quando cum integris componitur dictionibus, quamvis significationem suam amittat [id est coniunctionis], tamen enclitici vim servat: *pleráque, ubíque, utráque*, exceptis differen-

---

[1]) *si* addidi; *cum* Hagenus.

tiae causa *ítaque, útique*: in his enim non solum coniunctio, sed etiam praeposita ei adverbia vim propriae significationis convertunt composita[1]).

Donatus ad Ter. Ad. II, 3, 5 (253). XCIII[a]
Itaque et subiunctivum potest esse media syllaba correpta et praepositivum producta eadem syllaba, ut sit *itáque.*

Donatus ad Ter. Hec. II, 1, 10 (207) = IV, 2, 3 (597). XCIII[b]
Itaque modo duae partes sunt orationis.

Servius c. in Don. p. 427, 13 K. XCIII[c]
Itaque pars orationis quaeritur, utrum correpta media an producta dici debeat. scire debemus quoniam tunc corripitur media [id est] cum una pars fuerit orationis, tunc vero producitur, cum duae. hoc intellegere ex elocutionibus possumus; nam si qui dicat *itáque fecit, itáque* dixit[2]) pro duabus, nec in aliqua elocutione potest esse pro duabus, nisi in ea ubi pro simplici ponitur *et ita*[3]).

Priscianus partit. VI, 126 p. 488, 23 K. XCIII[d]
Composita *que* semper postponitur, ut *atque, quoque, namque*; syllabice quoque additur in fine et vim coniunctionis amittit encliticae, ut *úndique, dénique, ítaque*, quando antepaenultimo acuto profertur, id est quando coniunctio est rationalis. *utráque* et *pleráque* quaeritur, cum sint una pars orationis nec *que* divisa pro coniunctione accipiatur, cur non tertium ab ultima acutum habuerunt; in quo possumus dicere, quod accentus masculinorum et neutrorum, quia paenultimus est acutus, acuit etiam feminina in suam legem concidentia.

Cf. Priscianus XVI, 11 p. 100, 15 H.; [Priscianus] de acc. 10 p. 521, 2 K.

Servius ad Aen. X, 668. XCIV[a]
Tanton' me crimine dignum Duxisti?] *Tantôn'* pro *tantône*, et constat mutilatas partes orationis accentum in eodem loco

---

[1]) Non video cur Hertzius adnotaverit 'cf. tamen Prisc. de acc. 10'; qui cum dicat *itáque*, quando adverbium sit, pronuntiandum esse, nihil sentit, nisi quando pro *et ita* ponatur, ubi et adverbium *ita* et coniunctio *que* propriam retinent significationem.

[2]) *nam si qui dicat itáque fecit itáque dixit, pro duabus est* Keilius adiecto *est.*

[3]) *et ita* non exstat in cod.; Keilius nihil dicit de loco, in quo quin aut tale quid interciderit aut *simplici* corruptum sit, dubitari vix potest.

habere, in quo etiam integrae habuerunt. Nam μόρια i. e. minores particulae, ut *que, ve, ne, ce* quotiens iunguntur aliis partibus, ante se accentum faciunt, qualislibet sit syllaba, quae praecedit sive brevis sive longa; ut *Musáque, huiúsve*[1]), *illûcce, tantône* [*addûce dedûce*] et haec mutilata similiter proferuntur, scilicet sub eodem accentu.

XCIV^b Servius ad Aen. XII, 503.

Tantôn' placuit concurrere motu] Sane *tantôn, tôn'* circumflectitur. nam cum per apostrophum[2]) apocopen verba patiuntur, is qui in integra parte fuerat, perseverat accentus, ut *tantône* inde fit *tantôn'*, ut et *Tantôn' me crimine dignum?*

XCIV^c Priscianus XV, 17; 18 p. 74, 11 H.

In *c* primitiva inveniuntur *sic, doněc* . . . . et derivativa pronominum *illîc, istîc, hûc, illûc, istûc, hīnc, illīnc, istīnc, hâc, istâc, illâc* et omnia vel natura vel positione producunt extremam syllabam excepto *doněc* et in fine circumflectuntur, si vocalem longam habuerint natura. composita quoque inveniuntur, ut *adhuc, abhinc, dehinc.*

XCIV^d Priscianus XII, 26 p. 593, 10 H.

. . . . *illîcce*, unde *illîc* quasi apocopa facta in fine servat accentum. Terentius in Andria *illîc est huic rei caput.*

Cf. Beda de orth. p. 2336 P.

XCV Nigidius Figulus apud Gellium N. A. XIII, 26 (25).

P. Nigidii verba sunt ex commentariorum grammaticorum vicensimo quarto, hominis in disciplinis doctrinarum omnium praecellentis: *Deinde, inquit, voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi sint an vocandi? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tonost, quam prima, deinde novissima deicitur; at in casu vocandi summo tonost prima, deinde gradatim descendunt.* Sic quidem Nigidius dici praecipit. sed si quis nunc Valerium appellans in casu vocandi secundum id praeceptum Nigidii acuerit primam, non aberit quin rideatur.

---

[1]) *huiusve* scripsi pro *huiusce* quod e cod. Regin. confirmavit G. Thilo; *huiusce* Sangall. et omisso *illuce* Paris. 7929; idem delevi *addûce dedûce.*

[2]) *apostropham*, quod etiam Regin. Paris. Sangall. praebent, ex eis quae praecedunt *apostropha* [*cum exclamatione*] *ad Iovem* irrepsit.

Servius ad Aen. I, 451. XCVI[a]
Leniit] Quartae coniugationis tempus praeteritum perfectum vel in *vi* iunctum exit, vel sublata digammo in *ii* pro nostro arbitrio, ut *lenii lenivi, audii audivi.* sane cum in *vi* exit, paenultima longa est et ipsa accentum retinet; cum vero in *ii*, paenultima brevis est et perdit accentum, quia — ut supra diximus *Unius ob noxam* — quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem praecedenti; sed hoc in metro, ubi necessitas cogit, nam in prosa et naturam suam et accentum retentat. Nunc ergo *léniit*, tertia a fine habet accentum, quia paenultima brevis est. sane plerumque accentum suum retinet etiam sermo corruptus, ut *Mercúri, Domíti, Ovídi*: tertia a fine debuit habere accentum, quia paenultima brevis est, sed constat haec nomina apocopen pertulisse: nam apud maiores idem erat vocativus qui et nominativus, ut *hic Mercurius, o Mercurius,* unde *cu* licet brevis sit, etiam post apocopen suum servat accentum.

Priscianus VII, 18 p. 301, 17 H. XCVI[b]
In *us* vero terminantia, si sint propria, *i* ante *us* habentia, abiecta *us* faciunt vocativum, ut *hic Virgilius o Virgili, hic Sallustius o Sallusti, hic Pompeius o Pompei.* haec tamen eadem etiam in *e* proferebant antiquissimi *o Virgilie, Mercurie* dicentes. Livius Andronicus in Odissia *Neque tamen te oblitus sum Laertie noster*: Laevius in Sirenocirca *Nunc Laertie belle, para ire Ithacam. Laertius* enim pro *Laertes* dicebant, quomodo et Graeci Λαέρτιος pro Λαέρτης. Sophocles in Aeante mastigophoro: Ἀεὶ μὲν, ὦ παῖ Λαρτίου δέδορκά cε. iuniores autem gaudentes brevitate per abscisionem extremae literae protulerunt pro *Virgilie Virgili* et pro *Mercurie Mercuri.* Horatius in I carminum: *Mercuri facunde nepos Atlantis*; in eodem *Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior quam tibi, Virgili*; unde accentus perfecti vocativi in his servatur. si enim non esset abscisio debuerunt huiuscemodi vocativi (id est qui in *i* desinentes paenultimam correptam habent) antepaenultimam acuere, ut *Vírgili, Mércuri,* quod minime licet, nam paenultimam acuimus. in abscisionibus enim, si ea vocalis in qua est accentus integra manet, servat etiam accentum integrum, ut *audivit audît, nostrâtis nostrâs, illîce illîc.*

XCVI[c] Priscianus partit. XII, 211; 212 p. 511, 20 K.
Quare *Turnus Turne* facit vocativum? quia omnia in *us* desinentia secundae in *e* faciunt vocativum, exceptis propriis, quae *i* habent ante *us*, quae per apocopam proferunt vocativum, ut *Virgilius o Virgili*, pro *Virgilie* et *Mercurius o Mercuri*, pro *Mercurie* (ideoque accentus manet paenultimus, quamvis brevis sit paenultima syllaba. ex quibus enim aliqua subtrahitur syllaba, si integra manet illa in qua est accentus, integrum servat etiam accentum, ut *hic* et *haec Arpinâtis* perfectum circumflexum habuit paenultima syllaba, quae mansit in concisione: dicimus enim *hic* et *haec Arpinâs*. similiter si dicamus *munît* pro *munivit* circumflectitur *nît*, quia integra dictione supra se habuit circumflexum. sic etiam *tugúri* pro *tugúrii* acutum debet habere) et *Terénti* pro *Teréntie*, *Sallústi* pro *Sallústie*.

XCVI[d] Servius ad Aen. III, 3.
Ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia] Sane quaeritur, quomodo dixerit *cecidit* et *fumat*. sed aut per licentiam poeticam tempus pro tempore posuit, ut *meminisse horret luctuque refugit*, aut certe naturam rerum expressit. nam ruina fit (in) brevi, fumus vero longo permanet tempore. nam quod ait Probus ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus fumavit, non procedit [quamvis accentus differentiae causa adhibetur, ut *pone* verbum nullum habet accentum] quia *poné* tantum [verbum] in ultima habet accentum, ut significet *retro*.

XCVI[e] Paperinus in cod. Bern. 123 (An. Helv. p. CCLII H.)
Item Paperinus: nulla vox duarum vel plurium syllabarum acuto sono in ultima terminatur. circumflexum non alia pars postremum habet, nisi pars, cuius posterior syllaba natura longa excurrit, quae aut amissione ultimae syllabae litterarumve aut earum, quae sunt ante ultimam, corrumpitur, ut *pacât*, *opplêt*, *finît*, *agnôt*, *audît*, *dîc*, *addîc*, *dûc*, *addûc*, *adhûc*, *posthâc*, *antehâc*, *audî*, *cupî*[1]) quae plena et integra alia sunt, ut *parâvit*, *opplêvit*, *finîvit*, *agnôvit*, *audîvit*, *dîce*, *addîce*, *dûce*, *addûce*, *adhûce*, *posthâce*, *antehâce*, *audîvi*, *cupîvi*. huius quoque generis sunt *istôc illôc*, *istâc illâc*, *istîc illîc*.

XCVII[a] Servius [Sergius] c. in Don. p. 435, 31 K.
Cuias et *nostras* vel *cuiates* et *nostrates* (nam utrumque dicimus secundum Plauti auctoritatem) gentem significant, id est *cuius gentis* [optimas] *nostrae gentis*. plerique accentum

[1]) Keilius (progr. Erlang. 1868 p. 11), quocum *dîc*, *dûc*, *dîce*, *dûce* addidi (omiserunt cod., Hagen.), *cupît* — *cupîvit* post *audît* inseruit deletis *cupî audî* — *cupîvi audîvi*.

in ultima syllaba ponunt, quando dicimus *cuias*; sed prave. nam nulla pars orationis est Latina absque praedictis, quae potest in ultima accentum tenere.

Pompeius p. 205, 3 K. XCVII[b]
Possum dicere *cuias* et *cuiatis*. quid est *cuias*? id est *cuius gentis*, ut *nostras est iste homo* id est *nostrae gentis* . . . . invenimus apud plerosque artigraphos produci horum pronominum ultimas syllabas *cuiâs*, *nostrâs*. sed legistis in accentibus quoniam latina lingua in ultimis syllabis accentum non habet. idcirco non debemus hos sequi, sed debemus dicere [cuias[1]) et] *cuiâtis* vitandae calumniae causa. nam potest aliqui calumniari tibi. dicit tibi ille *quare non dicis cúias sed cuiâs?* et incipis in altercationem venire. ideo dico tibi, quoniam latina lingua in ultimis syllabis accentum non habet, ut tollas ambiguitatem obicientis hoc, dic *cuiâtis*; nemo enim dicit *cuiatîs*, per rerum naturam non potest fieri. ergo ad illud potius debes consentire et illud in usu habere, de quo nemo dubitat; et illud lectum est et illud.

Caper apud Priscianum IIII, 21; 22 p. 128, 22 H. XCVII[c]
Sunt alia in *as* denominativa, quae plerumque similia sunt accusativo plurali primitivorum suorum et sunt communia, ut *primâs*, *optimâs*, *Ravennâs*, *Capenâs*, *Arpinâs*, *Crotoniâs*, *Pontiâs*, *Larinâs*, quae ideo in fine habent circumflexum accentum, quia per syncopam proferuntur. perfecta enim eorum inveniuntur apud antiquissimos in *tis* desinentia, *hic* et *haec primatis*, *optimatis*, *Arpinatis*, unde neutra quoque eorum in *e* desinunt *primate*, *optimate*, *Arpinate*, et ablativus in *i*, more eorum, quae in *is* desinentia, cum sint communis generis et faciant in *e* neutrum, in *i* terminant ablativum: *a primati*, *optimati*, *Arpinati*. et testis eius Caper, qui diversorum de huiuscemodi nominibus ponit usus auctorum, confirmans tam in *is*, quam in *as* huiuscemodi nomina solere proferri. Cato Censorius in I originum: *sed lucus Capenatis*. in II: *si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur*. ibidem: *lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Baebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. hi populi communiter: Tusculanus Aricinus Lanuvinus Laurens Coranus Tiburtis Pometinus Ardeatis Rutulus. Ardeatis* dicit pro eo,

---

1) *cuiâs et cuiâtis* Keilius, sed rectissime delevit Langenus de gramm. lat. praec. p. 35.

quod nunc dicimus *Ardeâs.* Titinius in psaltria *Ferentinatis populus res Graecas studet* pro *Ferentinâs.* non est igitur dubium, quod — cum in omnibus quae paenultimam habent circumflexam, si patiantur syncopam, servamus eundem accentum in ultima, ut *prodûce prodûc, audîvit audît, cupîvit cupît, fumâvit fumât, illîce illîc, istîce istîc,* idque omnibus placet artium scriptoribus, qui de accentu scripserunt — debeant haec quoque idem servare, cum *ti* subtracta paenultima vocalis, quae circumflectebatur in dictione perfecta (id est *a*), invenitur ultima in concisione habens eundem accentum. inveniuntur tamen etiam propria differentiae causa in fine circumflexa, ut *Lenâs Lenâtis, Menâs Menâtis,* ne accusativi plurales *menae* [genus est piscis] et *lenae* [femininum est lenonis] esse putentur.

XCVII[d] Priscianus V, 21 p. 155, 12 H.

In *as* Latina, si sint patriae, communis sunt generis, *hic* et *haec Arpinâs, Sufenâs, Capenâs,* quorum ideo extrema syllaba circumflectitur, quia per syncopen *ti* syllabae, sicut saepe diximus, prolata sunt. antiquissimi enim *hic* et *haec Arpinatis, Sufenatis, Capenatis* proferre solebant. alia vero omnia in *as* desinentia feminina sunt, ut *pietas, probitas, auctoritas* excepto uno proprio *Maecenas Maecenatis.* (est etiam *Laenâs* quod differentiae causa in fine circumflectitur. Iuvenalis in I *Quod captator emat Laenâs, Aurelia vendat*).

XCVII[e] Priscianus VII, 60 p. 337, 9 H.

In *as* quoque terminantia, quando sunt gentilia, ablativum in *i* proferunt: *Arpinas ab Arpinati, Capenas a Capenati*; et rationabiliter. veteres enim huiuscemodi nomina in *is* proferebant *hic* et *haec Arpinatis* dicentes, unde neutrum *hoc Arpinate.* docuimus autem quod omnia ex quibus neutra transfigurantur in *e* exeuntia, per *i* faciunt ablativos, ut *hic* et *haec regalis* et *hoc regale ab hoc* et *ab hac regali,* sic ergo *hic* et *haec Capenatis* et *hoc Capenate ab hoc* et *ab hac Capenati.* nec mirum declinationem perfecti servari in his, cum etiam accentum soleamus servare, quamvis *a* in finali sit syllaba, quae in perfectis erat paenultima: *Capenâs, Arpinâs, Ardeâs.* quod autem per syncopam haec proferuntur, vetustissimorum usus comprobat. Cato in I originum *sed lucus Capenatis*

idem in eodem: *siquis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur*; idem in eodem: *populus communiter Tusculanus Aricinus Lanuvinus Laurens Coranus Tiburtis Pometinus Ardeatis.* idem in oratione, qua suasit in senatu *Samnitis* dixit pro *Samnîs*: *accessit ager quem privatim habent Gallicus Samnitis Apulus Bruttius.* *Laurentis* etiam pro *Laurens* dicebant; Ennius in annalibus: *Quos homines quondam Laurentis terra recepit.* Naevius neutraliter *hoc Samnite* protulit in carmine belli punici. ad cuius similitudinem debet et *hoc dite* dici, unde pluraliter *ditia* Lucanus in VIIII: *Non illic Libycae posuerunt ditia gentes Templa.* Lucilius tamen: Ὠμοτριβὲς *oleum Casinas* pro *Casinate.* Titinius in psaltria: *Ferentinatis populus res graecas studet.* Plautus in Sticho *infimatis*: *Ergo oratores populi summates viri Summi accubent, ego infimatis infimus.*

Priscianus XII, 17 p. 586, 26 H. XCVII[f]

Duo tantum inveniuntur communia *nostrâs* et *vestrâs*, quorum perfecta *nostrâtis* erant et *vestrâtis.* unde, quia *ti* syllabae syncopa facta est, mansit in *a* accentus perfecti, quomodo et in aliis multis, ut *Arpinâs* pro *Arpinâtis*, *fumât* pro *fumâvit*, *cupît* pro *cupîvit*, *illîc* pro *illîce.* itaque neutrum quoque eorum in *e* finitur *nostrate vestrate*, ex quo ostenditur illorum quoque nominativus in *tis* secundum analogiam a vetustissimis prolatus esse. Cassius Emina in III annalium: *hos libros siquis nostratis sapiens.* M. Cato in legis Meviae suasione: *rex Seleucus arma nostratia fecit.* Plautus in Sticho: *Ergo oratores populi summates viri Summi accubent, ego infimatis infimus* pro *infimâs.*

Cf. Priscianus VII, 70 p. 348, 17 H.; XIII, 16 p. 11, 15 H.; partit. I, 38 p. 468, 12 K.; [Priscianus] de acc. 26 p. 524, 9 K.; 46 p. 528, 16 K.

Quintilianus inst. or. I, 5, 22; 23. XCVIII[a]

Adhuc difficilior observatio est per tenores . . . cum acuta et gravis alia pro alia ponuntur, ut in hoc *Cámillus* si acuitur prima; aut gravis pro flexa, ut *Céthegus*, et hic prima acuta — nam sic media mutatur —; aut flexa pro gravi, ut

Appî circumducta sequenti, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant[1]).

XCVIII[b] Cominianus apud Charisium p. 265, 18 K.

Fit inmutatio et per sonos, cum aut acutus pro gravi aut gravis pro acuto vel alio quolibet ponitur. sonus in pronuntiatione invenitur. similiter adspiratio ad sonum pertinet, tametsi nos *h* notam[2]) quasi litteram ponimus. sed hoc vitium in scripto invenitur, cum aut *choronam* pro *corona* aut *umum* pro *humo* legimus.

XCIX[a] Donatus p. 392, 22 K.

Toni quoque similiter per has quattuor species conmutantur. nam et ipsi adiciuntur, detrahuntur, inmutantur, transmutantur; quorum exempla ultro se offerent si quis inquirat.

XCIX[b] Servius c. in Don. p. 444, 12 K.

Fit autem barbarismus principaliter modis duobus, pronuntiatione et scripto: pronuntiatione, si aut naturaliter longas syllabas breviter proferamus, ut *Rŏmam*, aut si naturaliter breves producamus, ut *rōsam*. scripto vero quem ad modum fit? modis quattuor, id est per adiectionem detractionem inmutationem transmutationem; et fit quinque rebus, littera syllaba accentu tempore adspiratione. haec omnia aut adiciuntur aut detrahuntur. . . . . (adicitur) accentu, ut *hîc*: aliter enim pronomen, aliter adverbium pronuntiandum est. . . . . (detrahitur) accentus, quando dicimus *déinde*, media[3]) enim habere debuit, quia positione longa est. . . . . inmutatio vero et transmutatio simili ratione monstratur; quorum exempla ibi in arte sunt posita. per adspirationem quando facimus barbarismum, dubitatum est, an pronuntiationi inputaretur, an scripto; quoniam haec aliquando anhelitus et cum linguae est,

---

[1]) Aliter haec L. Muellerus de re metr. p. 266 constituit, qui cum locum 'pro fide emendatum' ascriberet, non ascripsit exempla, quibus Quintilianus enuntiationem relativam adeo claudicare passus esset, ut a substantivo segregata per se incederet; interposuit enim verba *circumducta sequenti — dupliciter peccant* eis quae sub CLXXIII exhibui ita, ut *Atreus* et *quem* eis dirimerentur.

[2]) *h notam* scripsi; *h non* cod. N.; *non* delevit Keilius.

[3]) *mediam* cod. Quare Keilius post *debuit* inseruit *acutam*. Sed simpliciter *accentum* cogitatione supplendum est.

scribendo esse dicitur cum anhelitu in pronuntiando[1]). inter inmutationem et transmutationem hoc interest, quod inmutatio dicitur, ubi altera littera pro littera ponitur, ut *olli* pro *illi*; transmutatio autem est, ubi solus ordo mutatur ipsis manentibus litteris, ut *Euandre* pro *Euander*.

Pompeius p. 285, 17 K. XCIX[c]

(Barbarismus) fit autem quinque rebus per litteram, per syllabam, per tonos, per tempora, per aspirationem: has quinque res aut addimus aut detrahimus aut inmutamus aut transmutamus. addimus litteram, addimus syllabam, addimus accentum, addimus tempus, addimus aspirationem. . . . . quo modo addis accentum? si velis dicere *ârma*; namque id poscimus dicere cursim; quoniam non naturaliter illa producitur[2]), plus aliquid ab acuto habet. . . . . detrahimus accentum, si velis dicere *Róma*, cum tractim debeas dicere: longiorem enim illum accentum ad brevem traxisti. . . . . similiter etiam ipsas res conmutare potes et transmutare, potes mutare litteram syllabam tempus accentum aspirationem, vel transmutare.

Consentius p. 386, 12 K. XCIX[d]

Item barbarismus est, ut quidam definiunt, dictio vitiosa enuntiatione. hoc ideo habet reprehensionem in *enuntiatione*[3]), quoniam haec definitio ad tempora et accentus tantum pertinet, id est prosodias. item barbarismus est dictio aliqua parte sui vitiosa. hoc ad detractionem et adiectionem et trans-

---

[1]) Hunc locum ob earundem terminationum repetitionem perturbatum sic fere constituendum esse puto: *quoniam haec* (sc. *aspiratio*) *in pronuntiando esse dicitur anhelitus, set cum linguae est, aliquando et scribendo cum anhelitu proferunt.* Quod Keilius suspicatur: *quoniam haec aliquando anhelitu fit in pronuntiando et cum vitium linguae sit, scribendo esse dicitur,* non satis planam reddit sententiam. Quod vero fortasse potius post *dicitur cum* barbarae adspirationis exempla intercidisse dicit, inde refellitur, quod ea iam antea commemoravit Servius.

[2]) *arma numquid possumus dicere cursim, quoniam naturaliter illa producitur* cod. Quare Putschius *meta* pro *arma* supposuit, neglegens tunc detractionem pro additione evadere. Keilius *numquid — producitur* delevit et *pro eo quod est árma* inseruit. Sed hoc facile caremus, illud vel ob similem enuntiationem, quae in detractionis exemplo exstat, improbatur. Itaque mutationibus lenissimis retinui verba.

[3]) *nuntiationem habet in reprehensione* cod.; *habet reprehensionem* Keil.

mutationem et immutationem litterarum syllabarum accentuum temporum aspirationumque pertinet, quod exemplis mox prolatis apparebit.

XCIX[e] Consentius p. 390, 21 K.

Ex his apparet per accentus et aspirationem metaplasmum non fieri. haec enim fere duo specialiter barbarismo remanent, nisi forte quis *poné* metaplasmum per transmutationem accentus esse dicat. sed mihi non ita videtur; nam si mutatio ista accentus verbi significationem non mutaret, utique metaplasmum diceremus: cum vero transmutatio accentus significationem quoque verbi mutat, non in eo est ratio, ut verbum contra consuetudinem enuntiatum videatur, sed in eo ratio est, ut ideo aliter enuntiatum sit, quoniam significatio non eadem sequebatur.

XCIX[f] Consentius p. 391, 25 K.

Nunc iam quibus modis barbarismus fiat tempestivius proferemus. in quo equidem non imitabor eos scriptores, qui exempla huius modi vitiorum de auctoritate lectionum dare voluerunt; quo ea vitiorum facta est confusio, ut paene iam nemo intellegat, quid barbarismus sit, quid metaplasmus. nam plerumque alii atque alii, interdum iidem ipsi et metaplasmorum et barbarismorum[1]) eiusdem lectionis utuntur exemplis, eoque cuncta confundunt. nos exempla huius modi dabimus, quae in usu cotidie loquentium animadvertere possumus, si paulo ea curiosius audiamus. dicimus per adiectionem litterae syllabae temporis accentus aspirationis fieri barbarismum. . . . . (per adiectionem) temporis, ut quidam dicunt *pīper* producta priore syllaba, cum sit brevis, quod vitium Afrorum familiare est; accentus, ut siquis dicens *tríginta* priorem syllabam acuat et sequentem graviter enuntiet, qui modus et per immutationem fieri videtur. . . . . (per detractionem) temporis, ut si quis dicat *ŏrator* correpta priore syllaba, quod ipsum vitium Afrorum speciale est; accentus, si quis *orâtorem* dicens priorem syllabam circumflexo accentu pronuntiet. . . . . (per immutationem) temporis, ut si quis *pīces* dicens priorem extendat; accen-

[1]) *et metaplasmum et barbarismum* cod.; Buttmannus *utuntur* in *tuentur* mutavit; Keilius *dicentes* ante *eiusdem* inseruit.

tus, ut si quis *óratorem* dicens primam acuat. . . . . (per transmutationem) temporis, ut si quis dicens *pīcĕs* producta priore et correpta sequenti pronuntiet; accentus, ut si quis *ôratorem* pronuntians primam syllabam circumflectat. . . . . hi sunt fere modi barbarismorum, ex quibus apparet et aspiratione et accentu non ita frequenter fieri metaplasmos, et vicissim aliquos modos de metaplasmis non positos a scriptoribus, ut barbarismi similiter fieri posse videantur, veluti est diaeresis et episynaliphe.

Comm. Bern. in Don. (An. Helv. p. CXV H.). XCIX[g]
Detrahuntur accentus, ut si quis *méta Créta* et cetera talia sub acuto accentu pronuntiaverit, cum sub circumflexo pronuntianda sint; tunc fit detractio circumflexi et positio acuti.

Isidorus etym. I, 31, 3; 4. XCIX[h]
Barbarismus autem fit scripto et pronuntiatione . . . pronuntiatione autem fit in temporibus, tonis, aspirationibus et reliquis quae secuntur . . . per tonos, si accentus in aliam syllabam commutetur.

Augustinus a. gr. XI (Weber. Ind. Lect. Marb. 1861 p. 30). XCIX[i]
Barbarismus quo singula ipsa verba latina non sunt; nam si quis . . . . dicat *pone* et primam syllabam corripiat detractione temporis barbarismus est, aut si dicat *bonus* et primam syllabam producat, adiectione temporis vitium est aut si enuntiet *nomen* et nullam in eo acuat syllabam, acuminis detractione peccat, si autem duas acuat syllabas in una parte orationis, adiectione acuminis offendit auditum. . . . . quia detractione et adiectione, conmutatione et transmutatione aut aspirationis aut litterae aut syllabae aut accentuum aut temporum fit barbarismus.

Sed ad cetera vitanda potest quaecunque lectio boni auctoris subvenire; propter tempora autem et accentus alia eruditio et poetae maxime necessarii sunt. aut si ab his tempus excludit, animadvertendus diligenter in conloquio sermo doctorum est; nam iudicio[1]), quod tempore in locutione rectum est et quod eiusdem temporis docti qui habentur vel dixerint vel probaverint, in summa magno sunt[2]) consensu, quod in scriptis eorum quibuslibet et in sermone cum cura edito facillime apparet.

Marius Plotius [M. Claudius] Sacerdos p. 451, 9 K. XCIX[k]
(Barbarismus est) per accentum, ac si dicas *isté* et *te* acuas, cum *is* debeas.

---

[1]) *in dono* BV; *in domo* Maius; *in eodem* Weberus.

[2]) *a summo magno se consensu* BV; Weberus aut *magno* delendum esse ut dittographiam, aut *est magno inter se consensu* scribendum esse

CAPUT VII.

De nominum accentu.

Ca Probus inst. a. p. 51, 21 K.

Nomini accidunt qualitas genus figura comparatio ordo numerus casus accentus.

Cb Pompeius p. 138, 18 K.

Et Probus adiecit: 'sed accidunt etiam accentus'. habemus in Probo accentum etiam nomini accidere; legite Probum et invenietis.

Cc Ex arte Clementis exc. e cod. Bamb. (t. IV, praef. p. XXII K.).

Probus vero opinione caeca novem accidentia nomini accidere dicit; litteram videlicet et syllabam et accentum inter accidentia numerando.

CI [Priscianus] de acc. 14—20 p. 521, 33 K.

Latina quidem propria nominativum singularem *a* terminantia in paenultima syllaba accentum servant, quamquam nonnulla vocalem ante vocalem habere videantur, quae alia differentiae causa, alia solo usu producenda[1]) sunt, ut *Catilîna*, *Veranía, Stephanía.* appellativa vero eundem accentum servant *a* terminata, ut *poëta*, *regîna*, *habêna, fortûna*, *harêna*, *carîna*..... notantur autem pleraque, quae *i* vocalem longam habent ante vocalem, ut *philosophía, Papía,* quemadmodum unum verbum *fio*, quod solum *i* ante *o* productam habet. ideo autem diximus *pleraque*, quia omnia *i* vocalem ante vocalem habentia in antepaenultimam[2]) mutant accentum, ut *Venéria, Marcéllia, Arícia*, *Placéntia*, *Ausónia*, *Turónia*, *Colónia, Bríxia, Sardínia, Teutónia* et illa quae in *tia* finiuntur, ut *iustítia*, *sapiéntia, maestítia.* hanc autem regulam secuntur omnia, quae sic finiuntur, praeter illa quae supra diximus, quae alia differentiae causa, alia solo usu pronuntiantur. . . . . reliqua vero omnia ita

---

putat. Idem verba *si ab his tempus excludit* minus recte ita interpretatur, ut *tempus* significet *temporis i. prosodiae ignorationem*; nihil enim est, nisi: *si quis operam poetis legendis impendere non potest, sermonem animadvertat doctorum.*

[1]) *producenda sunt* H; *producta sunt* G, Keil.

[2]) *in antepaenultima* cod., Keil.

participio futuri temporis similia paenultimam producunt, ut *haec scriptûra, natûra, litteratûra,* quae omnia quando sunt nomina, tempore carent. ea vero quae *a* ante *a* vel *u* ante *a* vel quamlibet vocalem habent, omnia corripiuntur, ut *Mántua, Cápua, Dánaa. Córsica* vero et similia breviantur, et omnia quae sunt possessiva vel eisdem similia, si *i* habent in paenultima subsequente *c* consonante, ut *Crética, Isaúrica, Allemánica*: excipitur *vesîca*, quod producitur. quae vero habuerint *n* producuntur, ut *Românа, Campâna, Hispâna, Cumâna.* et haec omnia sive producta sive correpta per obliquos casus itidem pronuntianda sunt.
e finita fixa paenultimam syllabam omnia productam habent, ut *sedîle, monîle, singulâre, verbâle,* quae aequaliter per ceteros casus producenda sunt. . . . .
i terminatum unum invenitur trisyllabum indeclinabile, quod in paenultimo breviatur, ut *hic* et *haec* et *hoc níhili.*

Charisius p. 63, 8 K. CII

o littera terminantur tam masculina quam feminina, sed *o* correpta nominativo, circumducta vero genetivo, veluti *Cáto Catônis, Cícero Cicerônis, Néro Nerônis, Iûno Iunônis, régio regiônis*; communia, *cûpo cupônis, fúllo fullônis.*

[Priscianus] de acc. 19—22 p. 522, 29 K. CIII

o littera terminata praeposita vocali *e* paenultimam corripiunt, ut *gáneo, lábeo, áleo*, quae solos nominativos habent et vocativos, ea vero, quae *i* habent ante *o*, similiter corripiuntur, sed per ceteros casus excepto vocativo producuntur, ut *múlio muliônis, quatérnio quaterniônis.* praeposita autem qualibet consonante paenultimam productam servant, ut *haec imâgo imáginis, ulîgo ulíginis, fulîgo, calîgo, dissimilitûdo, magnitûdo,* quorum alia *o* in obliquis casibus servant et producenda sunt, alia in *i* convertunt et corripienda sunt, ut *cárbo carbônis, bûbo bubônis, calîgo calíginis, altitûdo altitúdinis.* . . . .

u littera terminatum unum reperitur aptotum in singulari, in plurali declinatur, quod in paenultimo liquescit, ut *tonitru.*

al syllaba finita, si sint appellativa, in paenultimo producenda sunt, ut *vectîgal vectigâlis, tribûnal tribunâlis*; excipitur *ánimal,* quod corripitur. . . . .

il syllaba terminata corripiuntur in paenultimo, ut *hic vígil huius vígilis*, quod videtur per syncopam proferri et in obliquis paenultimam corripit.

ol syllaba terminatum invenitur unum, quod in paenultimo corripitur, ut *hic Héliol.*

ul syllaba terminatum unum proprium reperitur, quod breviatur, ut *hic Hériul,* quod barbarum est.

um terminata *i* vocali praeposita[1]) breviantur, ut *Sophrónium, Abrotónium, Philórcium, Dórcium.*

en syllaba finita si sint a prima coniugatione vel a quarta producenda sunt, ut *solor solâmen soláminis*, *munio munîmen*, *farcio farcîmen.* si a secunda vel a tertia, corripiuntur, ut *sedeo sédimen*, *rego régimen.*

CIV Probus inst. a. p. 124, 29 K.

Quaeritur *hoc torcular* an *hoc torculare* facere debeat. sed quaecumque nomina generis neutri genetivo casu numeri singularis ante ultimam syllabam *a* litteram habent constitutam, si eandem *a* litteram producto accentu resonant, haec numquam nominativo casu numeri singularis *ar* litteris definiuntur, et ideo *hoc torculare* non *hoc torcular* facere pronuntiantur. sane etiam hoc monemus, quod haec eadem nomina in eodem nominativo casu numeri singularis certa necessitate metri vel structurae et *ar* litteris permissa sint declinari.

CV[a] [Priscianus] de acc. 23 p. 523, 21 K.

ar syllaba terminata producuntur ad instar supra dictorum nominum, ut *torcûlar*, *lacûnar*, *pulvînar*: notatur *láquear* quod breviatur. et omnia in obliquis casibus producuntur, ut *torculâris, lacunâris, pulvinâris*: excipitur *iubar*[2]) quod breviatur teste Virgilio, ut *iúbare exorto*, et propria nomina, ut *Arar* et *Caesar* et *Bostar.*

er syllaba finita si sint neutri generis, in paenultimo producenda sunt, ut *hoc cadâver*, *papâver*; si sint masculina aut feminina, corripiuntur, nisi sint positione longa, ut hic *álacer vólucer medíocer* et *haec múlier.* et haec omnia et similia in obliquis corripiuntur excepto *múlier*, ut *huius muliéris*[3]). cetera autem, ut *cadáveris, papáveris, láteris, úberis, síleris, cíceris* corripiuntur.

CV[b] E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. CIII H.).

Mulierem in antepaenultimo nemo debet acuere, sed in penultimo potius, ut *calefácit.*

CV[c] [Priscianus] de acc. 24 p. 523, 30 K.

In *ir* syllaba terminata breviantur, ut *sémivir, duúmvir*, *triúmvir* et omnia in obliquis sub uno accentu proferenda sunt.

CVI[a] Probus cath. p. 12, 14 K.

Omnia tamen nomina *or* syllaba pura terminata et cum alia

---

[1]) *i vocali praeposita* addidi.

[2]) *et impar* C — unde ς post *exorto* addit *et idem numero deus impare gaudet* —, quod omisi cum Keilio, quamquam nescio an talia plenioris olim tractationis sint vestigia.

[3]) *mulier ut huius mulieris* H; *haec mulier huius mulieris* G; *hic Hiber huius Hiberis* Keilius, quem iniuria mutasse ex Anecd. Bern. apparet.

consonante praeposita et iuncta in nominativo quidem corripiuntur, in genetivo vero si fuerint appellativa, producuntur *orâtor oratôris, praecéptor praeceptôris,* exceptis quattuor, quae quamvis sint appellativa, tamen corripiuntur: *árbor árboris, mármor mármoris, aéquor aéquoris, hic* et *haec* et *hoc mémor mémoris. actor,* si appellativum fuerit veniens ab agendo, *o* producitur in genetivo *actôris*; si sit hominis nomen proprium, corripitur, sicut Vergilius *Actoris Aurunci spolium.* omnia enim propria *or* syllaba finita in genetivo corripiuntur, ut *Néstor Néstoris, Héctor Héctoris, Cástor Cástoris* et si qua talia. quidam putant Vergilium contra rationem propriorum produxisse *Herculis Antôrem comitem*; sed errant: nam *hic Antores* declinavit, non *Antor,* sicut *hic Diores.*

Servius ad Aen. VII, 231. CVI[b]

Non erimus regno indecores] *décus décoris,* sicut *pécus pécoris, némus némoris, o* in genetivo correptum est. omnia enim in *us* exeuntia neutra, in genetivo singulari paenultimam corripiunt, excepto *pelagus,* quod graecum est. unde et *vulgeris*[1]) dicitur secundum regulam, licet de hoc nomine aliud auctoritati placuerit. *décor* vero *decôris* facit paenultimam in genetivo productam. omnia enim in *or* exeuntia in genetivo producuntur exceptis quinque *arbor, marmor, memor, immemor, aequor*: unde quaeritur *indécores* a quo sit nominativo. ab eo quod est *indecus* non potest venire, quia lectum non est, et quia *decus* neutrum regit genus, non masculinum. restat, ut dicatur ab eo quod est *indecor* venire *indecores*: nam et lectum est et masculinum est[2]). sed *décor decôris* facit producta paenultima, quam Vergilius corripuit. ergo aut systole est, aut certe dicendum huius nominis nominativum non inveniri, sicut in multis nominibus fit; quod et melius est. nam systole sine exemplo fieri non debet.

Servius ad Aen. XI, 423. CVI[c]

Cur indecores in limine primo] *décor decôris* facit, sicut *auctor*

---

[1]) *ulceris* Lion. cum Paris. 7929. Sed haec ipsa forma 'placuit auctoritati', et *uulgeris* Sangall. et Regin. exhibent, unde Regin. etiam *et uulgus* addidit post *pelagus.*

[2]) *et masculinum est* addidi.

auctôris; *décus décoris,* sicut *pécus pécoris.* similiter facit in compositione *índecor indecôris*, *índecus indécoris.* ergo in neutro *co* brevis est, in masculino producitur; unde apparet systolen fecisse Vergilium. nam *indécores* nominativus est pluralis a masculino, ab eo quod est *índecor.* nam non potest *hic indecus* facere: neutrum enim *us* terminatum masculinum ex se non facit. aut certe dicamus *indécores* declinationem esse cuius nominativus singularis non invenitur.

CVI[d] [Priscianus] de acc. 24—32 p. 523, 32 K.

or syllaba terminata *i* vocali praeposita breviantur, ut *mélior, dóctior, sánctior, brévior*, et haec omnia in obliquis productionem sibi defendunt. propria vero nomina productionem sibi minime defendunt, ut *Néstor Néstoris*, *Héctor Héctoris.* et *indecor* cuius simplex producitur[1]), paenultima correpta invenitur apud vetustissimos, quando pro *indecorus indecora indecorum* accipitur. producuntur autem appellativa pleraque tam masculini quam feminini generis, quamvis non habeant *i* ante *or*, ut *úxor uxôris, ámor amôris*, *ódor odôris, sóror sorôris.* neutralia vero breviantur, ut *róbor róboris*, *fémor fémoris.* notatur *memor*, quod est omnis generis et tamen corripitur, et compositum *ímmemor*, et unum communis generis, quod producitur in obliquis, ut *hic* et *haec aúctor huius auctôris.*

ur syllaba terminata breviantur, ut *sápifur, létifur*, et omnia in obliquis casibus breviantur, ut *sápifur sapífuris.* similiter *hic sátur sáturis, hoc iécur iécoris* vel *iecínoris, hoc súlfur súlfuris.*

as syllaba terminata[2]) breviantur, ut *dígnitas, píetas*, *felícitas*, et in obliquis casibus producuntur[3]), ut *dignitas dignitâtis* et omnia *a* litteram in nominativo productam servant. . . .

es syllaba finita breviantur, ut *Hércules, sónipes, álipes*, *stîpes*, et in obliquis similiter breviantur, ut *Hérculis* et cetera: excipitur *hêres herêdis*, *locúples loculêtis,* quae producuntur. et notandum, quod omnia quae sunt quintae declinationis, in obliquis producuntur, quoniam paenultimae eorum in nominativo et vocativo corripiuntur, ut *haec fácies o fácies, ácies, díes.* praeterea unum notatur in eadem clausula finitum, quod non quintae, sed

---

[1]) *producitur* inserui, idem *indecorus* cet. scripsi, pro *decôrus*; nam locum *et índecor — accipitur*, etsi non nisi in G exstat, tamen omittere cum editoribus probabile visum non est.

[2]) Cf. XCVI.

[3]) *terminata producuntur, ut dignitas dignitatis pietas felicitas* cod., Keilius. *corripiuntur* pro *producuntur* aut *producuntur in obliquis casibus* Christius Philol. t. XVIII (1862) p. 158. Sed in tanta rerum tractatarum similitudine vix dubitari potest de emendatione.

tertiae declinationis est, producitur tamen, ut *quíes quiêtis.* cetera in obliquis corripienda sunt, ut *ábies abíetis*, *áries*, *páries.*

is syllaba finita, si sint accidentia, producuntur, ut *suâvis, memoriâlis, speciâlis.* haec autem omnia communis sunt generis: faciunt enim neutrum sic *hic* et *haec suâvis*, *hoc suâve*, *hic* et *haec speciâlis*, *hoc speciâle*; nam et in obliquis producuntur, ut *huius speciâlis* et *suâvis.* appellativa autem haec producenda sunt, ut *secûris, lebêtis*, *sinâpis.* cetera vero corripienda sunt in obliquis casibus, quae disyllaba inveniuntur in nominativo, ut *lápis lápidis, púlvis púlveris, sánguis sánguinis*: excipitur *impûbis*, quod producitur tam in nominativo, quam in obliquis casibus, ut *huius impûbis.*

os syllaba terminata in paenultimis producenda sunt, ut *hic* et *haec sacérdos sacerdôtis*, *armagâtos*, *fervigâtos*, *lépos lepôris*, quod eloquentiam significat, *népos nepôtis.*

us syllaba finita in paenultima productionem sibi defendunt, ut *tribunâtus, magistrâtus, consulâtus*, *principâtus*, et omnia quae a verbis veniunt, quae sunt similia participio, ut *amâtus*, *delêtus*, *strâtus*, *lacessîtus*, *cupîtus*, *munîtus*, *audîtus.* excipiuntur haec: *sátus, sítus, lítus, quítus*, quae corripiuntur non solum in simplicitate, sed etiam in compositione, ut *ínsitus, íllitus*, *néquitus. cítus* quoque licet corripere et producere: dicimus enim *íncitus* et *incîtus.* composita vero ab *eo is* verbo corripiuntur, ut *áditus*, *praetéritus*, *óbitus.* a *do* quoque et a *sto* composita corripiuntur, ut *dátus*; inde fit *índitus, státus*; inde fit *ínstitus.* a *reor* similiter, ut *rátus*; inde fit *írritus.* a *spiro* quoque et *halo* nomina venientia breviantur, ut *spíritus, hálitus.* ab *ambio ámbitus*; sed quando participium est, servat productam paenultimam. a *rutus* quoque composita paenultimam corripiunt, ut *érutus*, *dírutus.* notandum est namque, quod haec, quando nomina sunt, tempore carent, quando vero participia, tempus cum significatione demonstrant, ut *amatus sum illum*, id est *amavi illum.* nomina vero tertiae declinationis terminantia *us* nominativum breviantur, quae supra dictis conveniunt, ut *sérvitus* *[1]) *fráxinus*: excipitur *papŷrus,* quod producitur, ut *huius papŷri.* alia vero omnia, quamquam non sint longa in nominativo, tamen in aliis casibus producenda sunt, ut *sérvitus servitûtis*, *pálus palûdis, iuvéntus iuventûtis*: excipiuntur haec, quae corripiuntur, *Vénus Véneris*, *Lígus Líguris*, *lépus léporis,* quod animal est. propria vero vel appellativa masculini generis sive ex se feminina faciunt, sive in aliud genus minime transformantur,

---

[1]) Keilius post *amavi illum* intercidisse quaedam de nominibus secundae declinationis putat, quod facile concedi potest; sed cur, quae ad ea pertinere dicit verba *fraxinus* — *papyri*, h. l. delerit, non intellego. Omnia tam incondite sive compilata sive excerpta sunt, ut iudicium de genuino ordine continendum sit.

breviantur ut *Teréntius, Márius*: excipiuntur haec, quae habent *a* in paenultima, vel possessionem significant vel a possessoribus derivantur, ut *Mariânus, Terentiânus*, *Capuânus*, *Beneventânus*, *Hispânus*, *Placentînus, leporînus*, *taurînus*. quae autem habent *c* inter *i* et *u*, in paenultimo loco corripiuntur, ut *pórticus, Gállicus*, *Itálicus*, *Alemánnicus*, *Románicus*: excipiuntur ea quae habent *a*, ut *Taurinâcus*.

CVII Priscianus partit. I, 17 p. 463, 27 K.

Aditus ὁ προσελευθείς *huius aditi*; *aditus* ἡ προσέλευσις *huius aditus*. quidam autem stulte et contra usum auctorum participii paenultimam producunt et dicunt se hoc facere differentiae causa. nullum enim participium veniens a verbis in *eo* desinentibus, sive secundae seu quartae sint coniugationis, *i* productam habet ante *tus*, ut *móneo mónitus*, *hábeo hábitus*, *praetéreo praetéritus*. Virgilius in octavo: *o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos*; *óbeo óbitus* idem in decimo: *morte obita qualis fama est volitare figuras*; *ádeo* quoque *áditus* Ovidius in fastis: *sol aditus 'quam quaeris' ait 'ne vana labores Nupta Iovis fratri tertia regna tenet'*. de *aditus* quantum ad praesens sufficienter diximus.

CVIII Priscianus IX, 11 p. 457, 18 H.

Nec mireris, si non ubique differentiam faciat vel defectionem anceps significatio; non solum enim in verbis, sed etiam in nominibus et aliis partibus orationis est quando faciunt differentiam vel accentuum vel literarum mutatione auctores, est quando non faciunt.

CIX Priscianus X, 57 p. 547, 2 H.

Ambio ab *eo* compositum solum mutavit paenultimam *e* in *i*; itaque in *io* quidem desinentium regulam servavit in participio et in supino, quippe producta paenultima: *ambîtus, ambîta, ambîtum*; in nomine autem sive vocabulo rei differentiae causa in *eo* terminantium regulam servans corripuit paenultimam *ámbitus*, ut Ovidius in I metamorphoseon: *Iussit et ambitae circumdare litora terrae*. Lucanus in I: *letalisque ambitus urbi Annua venali referens certamina campo* —, quamvis Scaurus in utroque similem esse tenorem putavit. sed Velius Celer respondens Hadriano imperatori per epistulam de hoc interroganti declinatione et tenore *ambitus* nomen a participio ostendit discerni, quod usu quoque, ut ostendimus, confirmatur.

Probus inst. a. p. 116, 22 K. CX

Quaeritur *vitus* cum dativum vel ablativum casum numeri pluralis similes cum illis nominibus, quae ablativo casu numeri singularis *e* littera correpta terminantur, habere repeariatur, qua de causa in isdem supra dictis casibus ante ultimam syllabam non per *u* set per *i*[1]) litteram pronuntietur scribi. hac de causa, quoniam *vitus* non similes supra scriptos casus habere cum illis nominibus, quae ablativo casu numeri singularis *e* littera scilicet correpta terminantur, pronuntiatur, si quidem ab *hac vitu his* vel *ab his vítibus* presso accentu pronuntiatur, at vero *ab hac vite his* vel *ab his vitíbus* acuto accentu tenuantur; et ideo *vitus* dativo vel ablativo casu numeri pluralis ante ultimam syllabam per *i* tantum litteram pronuntiatur.

[Priscianus] de acc. 33—35 p. 525, 30 K. CXI

ax syllaba terminata omnia corripiuntur, ut *cóntumax, pértinax, pérvicax*; et in obliquis casibus producuntur ut *contumâcis, pertinâcis, pervicâcis.*

ex syllaba terminata breviantur, ut *ártifex*, *aúrifex, múrifex, ópifex opíficis.* sed reperitur unum masculini generis, quod in obliquis casibus *e* productam servat, ut *hic vérvex huius vervêcis*, quod animal est.

ix syllaba finita producuntur, ut *bellâtrix*, *venâtrix*: excipiuntur *mérctrix*, *génitrix.* sed omnia in obliquis casibus producuntur, exceptis his: *haec sálix sálicis, hic cálix cálicis.*

ox syllaba finita breviantur, ut *infelox* (?), *vélivox, ésox*, *átrox, célox*; et in obliquis producuntur, ut *infelôcis*, *velivôcis*, *esôcis*, *atrôcis*, *celôcis.*

ux syllaba finita producuntur, ut *Póllux Pollûcis*, *pullinûrux crurinûrux*; excipitur *coniunx*, quod nomen sine *n* quidam proferri volunt, quia in obliquis casibus *n* litteram amittit, ne verbum putetur.

t littera terminata tam in obliquis casibus quam in nominativo breviantur, et generis neutri sunt, ut *sínciput*, *ócciput.* Persius: *et fissa fumosum sinciput aure.*

Quae in duas consonantes desinunt, nisi sint positione longa aut in compositione, antequam componuntur, in simplici figura[2])

---

[1]) *non per i et per u* cod., ed. Cf. Scaurus de orth. (LXXXVI); Palaemon p. 1371 P.

[2]) Sententia, quae obscuratur his verbis, similis subesse videtur ei, quam supra apud Martianum Capellam suspicatus sum (LXVII adn.).

productionem sibi servant, ut *cêdens intercêdens* et *clâmans conclâmans*, cetera omnia breviantur, ut *omnípotens, plenípotens, armípotens, aúdiens*. et haec omnia tam longa quam correpta in obliquis producuntur, quia servant positionem. excipiuntur haec, quae non habent *n*, ut *caélebs caélibis*, *ínops ínopis*, *ádeps ádipis*, *híems híemis*.

CXII [Priscianus] de acc. 45 p. 528, 13 K.
Quoniam, ut opinor, latius et convenienter de his accentibus tractatum est, nunc de consequentibus videamus. participium namque illos accentus, quos nomen habet, in omni loco, ut diximus, dum de his tractabamus, sequitur.

CXIII [Sergius] explan. in Don. p. 560, 14 K.
(De participio) * adiectione declinatione accentu: conparatione, ut *doctus doctior*; adiectione, ut *nate dea*, si *nate* tantum modo dicas, participium est; si adiungas *dea*, nomen est *nate*: accentu, *páreo pârens*; declinatione sic, nomen est, quando quartae declinationis est, quando secundae, participium.

CXIV[a] [Priscianus] de acc. 14 p. 522, 1 K.
Composita vero eandem sibi pronuntiationem defendunt, quam habent in simplicitate, ut *cóncava, tránsfuga*: *fu* enim in simplicitate brevis est, et ideo *tránsfuga* et non *transfûga* dicimus. *homicîda* quoque et *parricîda* ideo longam in *i* paenultima habent, quia *e* longam in *i* productam convertunt.

CXIV[b] [Priscianus] de acc. 16 p. 522, 16 K.
Illa quoque, quae a verbis *colo, gigno* componuntur, paenultimam brevem habent, ut *caelícola, rurícola, silvícola*; *rurígena, terrígena*.

CXIV[c] [Priscianus] de acc. 15 p. 522, 5 K.
Composita a *cano* paenultimam corripiunt: excipitur *tibîcen*, quod euphoniae causa pro duabus *ii* brevibus unam sonat longam.

Cf. 22 p. 523, 18: praeposita itaque consonante *c* corripienda sunt, ut *líticen fídicen*; excipitur *tibîcen* quod solum producitur, ut praediximus.

CAPUT VIII.

De verborum accentu.

CXV [Priscianus] de acc. 36 p. 526, 16 K.
Regulis accentuum nominis expositis tractandus est accentus, qui in verbis observatur, qui etiam certis definiendus est regulis.

CXVI[a] Macrobius exc. Par. III p. 601, 22 K.
Apud Graecos eorum verborum, in quorum prima positione

circumflexus accentus ultimam syllabam tenet, tres sunt coniugationes, quibus discretionem facit secunda persona, quam prima coniugatio habet in ειϲ diphthongum desinentem, ut λαλεῖϲ, secunda in αιϲ, cui ascribitur quidem ι, sed nihil sono confert, ut τιμᾶιϲ, tertia in οιϲ diphthongum, ut ϲτεφανοῖϲ. eorum vero verborum, in quorum prima positione gravis accentus paenultimam syllabam signat, sex sunt coniugationes. sed in his non secunda persona discretionem facit, quippe cum in omnibus secunda persona in ειϲ diphthongum finiatur. sed harum coniugationum in prima persona differentiae deprehenduntur. quaeritur enim in prima persona verbi cuiusque, quae litterae praecedant ω finalem litteram verbi . . . . apud Latinos, quorum nullum verbum in finalem syllabam admittit accentum, cessant differentiae, quas apud Graecos circumflexus gravisve fecerunt, quorum alterum in verbis ultimae, alterum paenultimae Graeciam diximus deputasse. restat igitur in his latinitati unus accentus, gravem dico, qui solus romana verba sortitus est[1]. sed hoc proprium in verbis latinis habet, quod non semper, ut apud Graecos, ubi fuerit, in paenultimam syllabam cadit, sed saepe et a fine tertiam tenet, ut *ággero, réfero*; quod apud Graecos non potest evenire, apud quos in communi lingua fieri non potest, ut, cum finalis syllaba longa est, tertius a fine habeatur accentus. ω autem naturaliter longum est. ergo numquam accentus in huius modi verbis apud illos in tertium gradum recedit.

Ioannes excerptor Macrobii in cod. Par. p. 630 adn. K. CXVI[b] Cum igitur Graeci coniugationum suarum numerum denario contineant, verborum tamen omnium bina divisio est: aut enim in περιϲπώμενα, id est in ea, quae ultimam circumflectunt, aut in βαρύτονα, hoc est paenultimam gravem habentia dividuntur. addunt quidam

---

[1]) Keilius nomine barytonorum verborum grammaticum in errorem inductum esse putat. Sed *gravem* accentum etiam adhiberi, ubi non de gravandis syllabis, sed de intentis agitur, Servius ad Aen. II, 124 docere potest: *et mihi iam multi crudele canebant*] '*mihi*' *hoc est Sinoni et quidem* (*quidam* Peerlkamp.) *graviter pronuntiandum tradunt* '*mihi*'. Hunc locum qui inspexerit, non dubitabit quin *graviter* significet *cum vi et gravitate.* idem autem hoc loco fieri etiam quae sequitur Ioannis ostendere potest explanatio, qui cum recte barytona de ultima syllaba accipiat, tamen paenultimae gravem tribuat accentum.

tertiam speciem, quam ηρηcυνην[1]) vocant, id est *acualem*. habet enim, ut dicunt, acutum in ultima. Macrobius vero duas tantum species ostendit, unam in his, in quibus, ut diximus, ultimam semper circumflexus tenet accentus atque ideo περιcπωμένη meruit appellari, alteram quae, dum immutabiliter in paenultima gravem teneat, nullum tamen in fine certum potest habere sonum. denique βαρύτονα dicitur id est tono extranea in ultima, non quia non habeat, sed quod certum stabilemque habere non possit. aliquando namque gravatur, aliquando vero acuitur, numquam tamen circumflectitur. hoc etiam videtur non esse transeundum, quod, cum quorundam auctoritas sola περιcπώμενα ipsiusque tertiae speciei, quam illi addunt, verba ω naturaliter producto terminari contendat, βαρύτονα vero semper ω naturaliter correpto, omnia Graecorum verba una eademque littera, producta scilicet ω Theodosius finiri pronuntiet. inde fit, ut illorum finem accentus discernat, non tempus. videtur quoque idem simili ratione velle, non tamen affirmare, omnia Latinorum verba rationabilius secundum graecam formam *o* producto concludi quam correpto, cum iuxta paene omnes dichronum sit. prima igitur species in tribus coniugationibus concluditur, in quibus circumflexus ultimam tamquam perpetuam possidet sedem. secunda vero sex vel septem videtur conprehendere syzygias, quarum paenultimas gravi accentu non dubitant naturaliter esse possessas.

CXVII Priscianus VIII, 93 p. 442, 18 H.

Coniugatio est consequens verborum declinatio, cuius regula apud Graecos quidem tam consonantibus quam vocalibus comprehenditur. consonantibus quidem in his verbis, quae βαρύτονα appellant, hoc est ante finem habentia accentum, vocalibus vero in circumflexis; apud nos vero in solis vocalibus secundae personae ad imitationem circumflexorum.

CXVIII Eutyches p. 447, 16 K.

Tres quidem sunt apud Graecos coniugationum species: una quae carens tenore in fine βαρύτονος ab eis appellatur, quae ex consonantibus ante finalem ω inventis ordinem sex coniugationum significat; alia quae circumflexo accentu prolata

[1]) Keilius *epicoenon* fortasse scribendum putat. Sed quomodo haec vox per *acualem* reddi possit, non video, nec omnino, quorsum haec spectent, intellego. nam φημί, εἰμί, quibus etiam quod de vario ultimae syllabae tono adicitur (cf. Herod. t. I p. 431; 458 Lentz.), bene conveniret, non possunt intellegi ob ea quae secuntur *tertiae speciei* — *contendat*. Cf. Eutyches CXVIII, ex quo nescio an haec deprompserit Ioannes.

apud eos iure περισπωμένη nominatur et ex vocalibus in secunda persona inventis ordinem trium coniugationum ostendit; et tertia, quam ex finali terminatione in μι[1]) desinentem dicunt, licet in paucis verbis quartam habent coniugationem. Latini vero sicut in aliis multis nec prorsus omnia videntur habere coniugationum indicia nec iterum carere penitus omnibus. nam in ω terminationem ex parte videntur imitari, *o* terminalem primae personae in plerisque temporibus habentes[2]). cumque sint omnia verba linguae natura Romanae βαρύτονα, hoc est tenore prorsus in fine carentia, nec tamen proprietate circumflexorum carent, ex vocali secundae personae coniugationum ordinem ostendentia.

[Priscianus] de acc. 36 p. 526, 17 K. CXIX[a]
Universa enim verba coniugationis primae quae in secunda persona *as* syllaba finiuntur, [quae] cum in trisyllabis et tetrasyllabis veniunt, in paenultimis syllabis per omnes modos producenda sunt, ut *ámo ámas amâbam amâvi*: excipitur praeteritum plusquamperfectum indicativi, quod solum breviatur, ut *amáveram* et futurum eiusdem indicativi[3]) in primis et secundis personis pluralibus, cuius exemplum hoc est: *amâbo amâbis amâbit* et pluraliter *amábimus amábitis amâbunt.* ab his namque regulis exeunt novem, quae in *vi* mittunt praeteritum perfectum, quae perfectum et plusquamperfectum et primas et secundas personas futuri indicativi corripiunt, cetera producuntur, ut *séco sécas secâbam secâbo sécui, dómo dómas domâbam, fríco frícas fricâbam,*

---

[1]) μι non exstat in cod., sed de certa coniectura illatum est; quod vero Frising. habet *in o dessinentem dicunt id est HPICHNA correp̄* adscripta in margine glossa: HPICHNA *nominatur tertiai. acualis quia acuabitur* ortum videtur ex adnotatione de quarta illa, postea in tertiam illata, cuius notitiam frustra quaesivi apud grammaticos graecos. Quod vero Keilius coll. Dionysio Thr. p. 639, 25 accuratiorem divisionem verborum in μι intercidisse putat, id veri simile non est, quia haec omnia ad latini verbi comparationem accommodata sunt, ut hoc ipsum minoris sit momenti.

[2]) *o terminalem primae personae praesentis temporis in plerisque habentes* suspicatur Keilius. Sed cum *plerique* a grammaticis saepissime pro *complures* adhibeatur, et vel praeter praesens tempus *o* terminalis in primis inveniatur personis, nihil mutandum esse censeo.

[3]) Keilius cum post *plusquam perfectum* in cod. omissum sit *indicativi*, hoc loco pro *eiusdem indicativi* scripsit *eiusdem modi.*

véto vétas vetâbam, sóno sónas sonâbam, tóno tónas tonâbam, míco mícas micâbam, crépo crépas crepâbam, plíco plícas plicâbam; tamen annexis praepositionibus praesens breviatur, quod in disyllabis venit, nisi positione aut natura ipsa verba producta sunt, *réparo, réseco, résono, réplico.* notatur namque quod *plíco plícas* praeteritum *plícui* vel *plicâvi* facit. quattuor ab hac exeunt regula *sto, do, lavo, iuvo,* quae cum componuntur, sicut in simplicitate, neque in *avi* neque in *ui* exeunt formam, ut *résto réstiti restíteram restábimus restábitis restâbunt, réddo réddidi reddíderam* [reddêbimus reddêbitis[1]). excipiuntur relavo revivo, quae in praeterito sic exeunt ut relavi revixi. secuntur etiam regulam superiorem, ut relavo relavi, revivo revixi]: excipitur *relavo*, quod in praeterito perfecto et plusquamperfecto et uno futuri modi coniunctivi *la* syllabam longam habet, in ceteris vero modis et temporibus breviatur, ut *relâvi reláveram relávero* [relavabitis relavabunt]. notantur namque quae in simplici figura sunt longa, quia ipsam productionem quam habent in simplicitate, retinent in compositione. sed etiam praepositio quando componitur cum qualibet parte orationis, qualis ipsa praepositio est, talis remanet in compositione, ut *rédimo, inhaéreo, subvérto.*

CXIX[b] [Priscianus] de acc. 40 p. 527, 10 K.

Omnia verba secundae coniugationis quae in *es* syllaba finiuntur in secunda praesentis temporis, in trisyllabis et tetrasyllabis vel etiam polysyllabis inveniuntur, et omnia in paenultimo corripiuntur, ut *rúbeo, hábeo, mísceo, lángueo, iáceo, rígeo.* sed per ceteros modos superiores formulas, quas in prima coniugatione subscripsimus, secuntur. notantur haec quae in praeterito perfecto et plusquamperfecto et in uno futuro modi coniunctivi producuntur et in simplicitate et in compositione, in ceteris autem temporibus breviantur sic, *sédeo sêdi séderam sédero, resídeo resêdi resédeam resédero, cáveo câvi cáveram cávero.*

CXIX[c] Eutyches p. 487, 26 K.

Sicut *sédeo* verbum secundae coniugationis et, quod eiusdem est coniugationis compositum, *insídeo,* unde nomen *insídiae,* ex quo aliud verbum *insídior insidiâris* traducitur, ex praeterito perfecto suo, quod est in primitivo *sédeo sêdi* factum

---

[1]) *reddebimus reddebitis* H, quod cum Keilio delevi. Nam etsi talia saepe vestigia sunt plenioris olim tractationis, tamen h. l. tertiam declinationem immiscerent exponendae primae. At in proximis, ubi *relavábitis relavâbunt* item cum Keilio inclusi, dubitare possis an aliquid interciderit de prima et secunda persona futuri indicativi corripiendis in ceteris eiusdem modi productis; verba vero *excipiuntur — revixi* vel a tali scriptore, qualem tractamus, abhorrent.

expulsione *e* quae ante *o* erat, productaque paenultima, facit verbum primae coniugationis, *sêdo sêdas* — quo modo in circumflexis apud Graecos Syracusano more saepe verbi positio derivatur ab alterius verbi praeterito perfecto, ut ποιῶ πεποίηκα πεποιήκω, νοῶ νενόηκα νενοήκω —; quod potest etiam a praeterito perfecto, quod est *sêdi* producta paenultima, nomen fecisse *haec sêdes* eadem verbi longitudine etiam in nomine servata.

[Priscianus] de acc. 41 p. 527, 18 K. CXIX[d]

Verba tertiae coniugationis, quae in secunda persona praesentis temporis[1]) *is* syllaba finiuntur, corripiuntur, nisi positione sint longa, excepto praeterito imperfecto indicativi modi, ubi semper paenultima syllaba longa erit, ut *tríbuo tribuêbam, tríbuo tribúeram.* notantur autem quae in *ivi* vel *evi* exeunt in praeterito, quae productionem servant in eodem praeterito perfecto eiusdem modi, ut *cúpio cupîvi, quiesco quiêvi*, *sápio sapîvi.* cetera vero brevem sibi regulam defendunt, nisi positione longam habeant, ut *contémno contémpsi, géro géssi.* excipiuntur haec, quae in praesenti tempore et in ceteris temporibus breviantur, in praeterito perfecto et plusquamperfecto et in uno futuro modi coniunctivi producuntur, ut *légo lêgi légeram légero*, *fácio fêci féceram fécero*; similiter *fúgio fûgi fúgeram fúgero*, *fódio*, *ágo, émo.* ab his quoque regulis discrepant duo verba, quae in praeterito breviantur et in praesenti producuntur, *pôno* et *côgo*: dicimus enim *repôno repósui* et *recôgo recoêgi, co* vero syllaba in praesenti longa et in praeterito brevis est. similiter vero alia duo verba excipiuntur, quae sunt primae coniugationis, quae etiam, ut superiora, producta in praesenti et in praeterito correpta, *do* et *sto.* dicimus enim *réddo réddidi, résto réstiti.* notandum est namque, quod omnis dictio, quae in trisyllabis et in ceteris polysyllabis est, antepaenultimam seu productam seu correptam licenter in metro profert poetica ex[2]) fiducia, qua *nos protegat omnipotens rex*[3]).

Priscianus partit. I, 29 p. 466, 22 K. CXIX[e]

Cano . . . cuius est coniugationis? tertiae correptae. unde hoc

---

[1]) *in secunda persona praesentis temporis* om. G; etiam H omittere non prorsus recte Keilius dicit: nam *praesentis temporis* saltem, licet alieno loco, post *praeterito inperfecto* habet.

[2]) *ex* scripsi pro *est*; nam antea *polysyllabis ex antepaenultima* habet cod., ubi *est* requiritur, ut locum permutasse videantur voculae.

[3]) verba *poetica est fiducia — rex* delevit Keilius; *qua nos — rex* etiam G omisit. Sed ultima verba sine dubio versum quendam excitant, et mutato *est* in *ex* e cod. vestigiis constructio nulla iam difficultate laborat.

certum est? quia et prima persona ante *o* consonantem habet, quod in tertia producta sive quarta coniugatione inveniri non potest, et quod non solum in secunda persona *ĭs* finalis corripitur *cáno cánis*, sed etiam in plurali numero et prima et secunda persona *i* paenultima corripitur; itaque antepaenultima in his acuitur personis, ut *cánimus cánitis*; nec non imperativus quoque et infinitivus *i* correptam habentes, sicut etiam Donatus docet, manifestissime id ostendunt.

CXXa Quintilianus inst. or. I, 6, 7; 8.

Eadem in verbis quoque ratio conparationis, ut si quis antiquos secutus *férvere* brevi media syllaba dicat, deprendatur vitiose loqui, quod omnia, quae *e* et *o* litteris fatendi modo terminantur, eadem si in infinitis *e* litteram media syllaba acceperunt, utique productam habent, ut *prándeo péndeo spóndeo*, *prandêre pendêre spondêre.* at quae *o* solam habent, dummodo per eandem litteram in infinito exeant, brevia fiunt, *légo díco cúrro, légere dícere cúrrere.*

CXXb Quintilianus inst. or. I, 6, 20; 21.

Quid enim tam necessarium, quam recta locutio? immo inhaerendum ei iudico, quoad licet, diu etiam mutantibus repugnandum: sed abolita atque abrogata retinere insolentiae cuiusdam est et frivolae in parvis iactantiae. multum enim litteratus, qui sine aspiratione et producta secunda syllaba salutarit (*avere* est enim) . . . . his adiciat *face* et *dice* et similia.

CXXc Servius Aen. VI, 826.

Quas fulgere cernis in armis] *fúlgere* ab eo quod est *fulgo fulgis* [accentum habet in prima].

CXXI Porphyrio ad Hor. epod. XI, 9. p. 162, 14 M.

In quis amantem languor et silentium arguit.] *arguit* media syllaba producta pronuntiandum, quia praesentis temporis est.

CXXII [Priscianus] de acc. 44 p. 528, 3 K.

Quartae coniugationis verba quae in *i* litteram productam desinunt in secunda persona praesentis temporis, in trisyllabis et in ceteris polysyllabis veniunt, et omnia paenultimam brevem habent, ut *aúdio*, *áccio, móllio, saépio*: excipiuntur *eo* et *queo* et quae in disyllabis veniunt, ut *scio.* sed haec omnia et his similia regulam primae coniugationis secuntur. notantur haec, quae in praesenti tempore et in ceteris temporibus breviantur, in praeterito vero perfecto et plusquamperfecto, ut iam in aliis diximus, et in futuro modi coniunctivi producuntur, *scío scîvi scíveram*

scívero, vénio vêni véneram vénero, quéo quîvi quíveram quívero, néqueo nequîvi nequíveram nequívero, ódio ôdi óderam ódero, saévio saevîi saevíeram saevíero, éo îvi íveram ívero.

Macrobius exc. Par. p. 600, 22 K. CXXIII[a]

Graeca verba quando conponuntur cum praepositione, eundem accentum sine dubio servant, καταγράφω, περιφέρω, ἀναγλύφω ὑπομένω, διατρέχω, καταλαλῶ, προορῶ. cum vero eis alia pars orationis adiungitur, modo mutant priorem, modo tuentur accentum. servant in his τίω ἀτίω, ὄσσω κακόσσω, unde κακοσσόμενος, νίπτω χερνίπτω, unde est χερνίψαντο δ᾽ἔπειτα, κιθαρίζω χοροκιθαρίζω. in aliis mutant γλύφω καλαμογλυφῶ, γράφω χειρογραφῶ, σθένω εὐσθενῶ, σέβω εὐσεβῶ. Latini similiter servant: *praepôno, praecúrro*; mutant: *cólligo, áffero.*

Macrobius exc. Bob. p. 637, 7 K. CXXIII[b]

Apud Graecos praepositiones verbis adiectae accentum eorundem reservant, γράφω καταγράφω, βάλλω καταβάλλω περιβάλλω, φέρω περιφέρω, καλῶ κατακαλῶ, γλύφω ἀναγλύφω[1]). Latini accentum in aliis servant, in aliis mutant, ut *cúrro praecúrro, pôno praepôno, prehéndo reprehéndo*; *féro ádfero, géro íngero, fríco réfrico, vío dévio*[2]), *scío cónscio*[3]), *légo cólligo, prémo déprimo.*

Priscianus VIII, 35 p. 402, 10 K. CXXIV[a]

Si vero *fácio* verbo vel *fío* integris manentibus aliud verbum infinitum ante ea componatur, non solum significationes et coniugationes integras eis servamus, sed etiam accentus, ut *calefácio calefácis calefácit, tepefácio tepefácis tepefácit.* in secunda enim et tertia persona paenultimas acuimus, quamvis sunt breves. similiter *calefío calefís calefít, tepefío tepefís tepefít,* finales servant accentus in secunda et tertia persona, quos habent in simplicibus.

Priscianus partit. VI, 127 p. 488, 31 K. CXXIV[b]

Nec mirum euphoniae causa hoc in his evenisse (sc. ut *pleráque*

---

[1]) Hunc locum si cum exc. Par. comparamus, vix dubitandum est quin excerptor ab ἀναγλύφω aberraverit ad καλαμογλυφῶ et exempla mutati in Graecis accentus omiserit.

[2]) Pro *vío dévio* Keilius suspicatur *vého dévého.* Sed nihil est mutandum, praesertim cum ipse Macrobius sat. V, 15 verbo *devio* usus sit.

[3]) *contro* cod., unde *tráho contraho* Endlicher, quem sequitur Keilius.

dicatur) cum in aliis quoque quibusdam compositis hoc idem invenitur, ut *calefácis tepefácis suaverúbens*, quae omnia debent secundum analogiam antepaenultimum habere acutum, paenultimum tamen habuerunt.

CXXIV^c E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 177, 6 H.).

Nec mirum (sc. acui antepaenultimam quamvis longa sit paenultima) cum apud nos quoque *locúpletis locúpletes* et *locúpleto locúpletas* et *assévero asséveras*, *persévero perséveras, erádico erádicas* longa sit naturaliter paenultima, et tamen propter eufoniam accentum habet antepaenultima; et e contrario *calefácis, fervefácis, arefácis, tepefácis, labefácis, madefácis* accentum habet paenultima, licet sit brevis, et rursus *alíquando, néquando, síquando* accentum tenet antepaenultima, licet longa sit paenultima.

CAPUT IX.

De accentu pronominum et adverbiorum cum eis cohaerentium.

CXXV^a Priscianus XVII, 55 p. 141, 8 H.

Apud Graecos alia sunt demonstrativorum pronominum absoluta, alia discretiva. absoluta dicuntur, quae non egent alterius adiunctione personae, quae ἐγκλιτικά, id est inclinativa, apud illos sunt, ut εἶδέν με, ἐλάλησέν μοι. discretiva sunt, quae egent adiunctione aliarum personarum, quae ὀρθοτονούμενα vocant, ut εἶδεν ἐμέ, οὐκ ἐκεῖνον: necesse est enim aliam inferre personam, quomodo in comparativis nominibus necesse est ad alias ea fieri personas, absoluta vero eorum, id est positiva, per se proferuntur. apud nos autem pronomina eadem et discretiva sunt, ut *vidit me* vel *vidit me, illum autem non.* nominativus tamen primae vel secundae personae pronominum, si verbo iungatur, quia verbum per se absolutam magis personam significat, plerumque discretivus est, ut *ego dico, ille autem non.*

CXXV^b Priscianus XIII, 21 p. 14, 7 H.

Illud etiam sciendum, quod omnia pronomina apud Latinos absoluta sunt et tam praepositiva quam subiunctiva recti [que][1]) accentus, id est ὀρθοτονούμενα, cum apud Graecos

[1]) *que* delevi.

sint quaedam inclinativa, ut μοῦ μοί μέ: *égo díco, díco égo*; *tú dícis, dícis tú*; *ílle dícit, dícit ílle.*

Donatus ad Ter. Hec. I, 2, 10 (85). CXXV[c]

Dic mi, ubi, Philotis, te oblectasti tamdiu? Ph.: *Minime equidem me oblectavi*] *me* acutius proferendum est, et respondet πρὸς τὸ *te.*

Donatus ad Ter. Hec. III, 5, 50 (500). CXXV[d]

Ita nunc is sibi me supplicaturum putat] *síbi* et *mé*: magno pondere legendum est utrumque pronomen, ut *cantando tú íllum?*

Donatus ad Ter. Phorm. I, 2, 20 (70). CXXV[e]

O regem me esse oportuit] Acue *mé.*

Donatus ad Ter. Phorm. II, 2, 27 (341). CXXV[f]

Dum tibi fit quod placeat: ille ringitur, tu rideas] Acuenda vox in eo quod ait *tíbi.*

Donatus ad Ter. Ad. II, 4, 4 (268). CXXV[g]

Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem: o mi Aeschine] Acuendum *té.*

Priscianus XII, 24 p. 592, 2 H. CXXVI

Cicero pro Murena: *quid? quod, cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas? tute* dixit pro *tu ipse per te et non per alium*; nam *téte* utraque producta accusativus esse geminatus ostenditur vel ablativus, quod et in prima et in tertia solet fieri persona, ut *méme, sése*; composita tamen ostenduntur accentu paenultimo acuto; nec mirum eam compositionem in his solis casibus inveniri, qui soli inter obliquos supra dictorum pronominum singulares sint monosyllabi: supra dicta enim geminatio in aliis casibus fieri non solet.

Diomedes p. 432, 1 K. CXXVII[a]

Pronomina etiam quae duplici modo declinantur, id est aut corripiunt aut producunt mediam syllabam genetivo casu, id ostendunt (sc. in trisyllabis observandam esse paenultimam): ut *ípsius íllius*[1]); si vero mediae longae sunt, primae graves, secundae fiunt inflexae, ut *ipsîus, illîus.* ergo primae acutae sunt, cum mediae breves, cum vero mediae longae, primae graves.

Cf. Martianus Cap. III, 66, 28 Eyss. (LXXI[n]).

---

[1]) Keilius post *ostendunt* lacunam statuit ita fere explendam: *nam si mediae breves sunt, primae fiunt acutae, secundae graves.* Sed nihil omnino desideratur, si notas accentuum adhibitas esse statuimus, quod re vera factum esse inde apparet, quod post *inflexae* infertur: *ut ipsius illius.* Nam alioqui hoc supervacaneum erat.

CXXVII[b] Servius ad Aen. I, 41.

Unius ob noxam] In istis sermonibus *unius, illius, ipsius* naturaliter media producitur syllaba; sed cum opus est corripitur hac excusatione, quod, quotiens vocalem longam vocalis sequitur, superiori vim detrahit, ut est *Insulae Ionio in magno* et *sub Ilio alto*; et ob hoc mutant accentum: in latino enim sermone cum paenultima corripitur, antepaenultima habet accentum, ut hoc loco *únius ob noxam*, et contra *Navibus infandum omissis unîus ob iram Prodimur.*

CXXVII[c] Servius ad Aen. I, 683.

Tu faciem illius noctem non amplius unam] Sane *illius* in Georgicis corripuit, ut *Íllius immensa.*

CXXVIII Priscianus VII, 20 p. 303, 16 H.

Aliius quoque per duas *i* debuit esse genetivus dativi qui est *alii*, sed vel hiatus causa vel quia inter duas vocales *i* vocalis esse non poterat, dativus autem loco consonantis eam accipi prohibebat, quam ipse duplicat vocalem — et credo differentiae causa, ne *ali* verbum infinitum esse putaretur —, ideo plerique recusaverunt eum frequenti usu proferre. vetustissimi tamen similem genetivum nominativo posuisse inveniuntur, sed accentu differt, quippe circumflectitur in genetivo paenultima. Caesar in Anticatone priore: *uno enim excepto, quem alîus modi atque omnis natura finxit, suos quisque habet caros.* Caelius in V: *nullius alîus rei nisi amicitiae eorum causa.*

CXXIX[a] Priscianus VI, 37 p. 228, 5 H.

Et sciendum quod in *ius* terminantium genetivus producit paenultimam, nisi poetica auctoritas eam corripiat, excepto *alter altérius,* quod ideo magis correptam habuit paenultimam, quod duabus syllabis vincit genetivus. quod igitur crevit syllabis, hoc minuit tempore. Terentianus tamen invenitur huius etiam paenultimam produxisse in trochaico metro, quod est ex septem pedibus et syllaba: *Sescuplo vel una vincet alterîus singulum.* sextus enim pes vult a longa incipere.

CXXIX[b] Priscianus XIII, 10 p. 6, 8 H.

Genetivus et dativus supra dictae declinationis in *ius* terminantium communis est trium generum: *ille illius illi,* et producitur paenultima *i* genetivi, quam tamen poetae etiam corripiunt absque uno *altérius*, quod quia solum duabus vincit syllabis proprium nominativum, corripit semper paenultimam *i.*

Priscianus XIII, 29 p. 20, 4 H. CXXIX[c]
Unus unîus uni, solus solîus soli, totus totîus toti, ullus ullîus ulli, nullus nullîus nulli, álius alîus alii, cuius genetivus, quia par est syllabis nominativo, producit semper paenultimam, cum *alterius* contra, quia duabus vincit syllabis nominativum suum, semper corripit paenultimam *álter altérius álteri.*

[Priscianus] de acc. 16 p. 522, 14 K.. CXXIX[d]
Excipiuntur *illius, istius, ipsius,* genetivi quorundam pronominum, quorum paenultimae indifferenter ponuntur.

Quintilianus inst. or. I, 5, 26. CXXX
Itemque cum *quale* interrogantes gravi, conparantes acuto tenore concludunt (sc. quidam eruditi, nonnulli etiam grammatici), quod tamen in adverbiis fere solis ac pronominibus vindicant, in ceteris veterem legem secuntur. . . . . (29): separata vero haec a praecepto non recedent, aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur. Cf. XI, 3, 176: quid? quod eadem verba mutata pronuntiatione indicant, adfirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, inridents[1]), elevant?

Gellius N. A. VI (VII) 2, 4—11. CXXXI[a]
Verba Caeselli subiecta sunt: *Masculino genere, ut multa alia, enuntiavit Ennius. nam in XIII annali 'quem cor' dixit.* ascripsit deinde versus Ennii duo: *Hannibal audaci cum pectore de* [*me*] *hortatur Ne bellum faciam: quem credidit esse meum cor?* . . . . . . hos autem versus Caesellius sic accipit, tamquam si Antiochus sic dicat: *Hannibal me ne bellum geram dehortatur; quod cum facit, ecquale putat cor habere me, et quam stultum esse me credit, cum id mihi persuadere vult?* Hoc Caesellius quidem, sed aliud longe Ennius. nam tres versus sunt, non duo ad hance Ennii sententiam pertinentes, ex quibus tertium versum Caesellius non respexit: *Hannibal audaci cum pectore de me hortatur Ne bellum faciam, quem credidit esse meum cor Suasorem summum et studiosum robore belli.* horum versuum sensus atque ordo sic opinor est: *Hannibal*

---

[1]) Vix mihi possum persuadere Quintilianum tam promiscue verba iecisse potius quam disposuisse, quae quam facile iam antiquo tempore perturbari potuerint, in aperto est. Num scribendum: *indicant interrogant, adfirmant negant, exprobrant elevant, mirantur, indignantur, inrident?*

ille audentissimus atque fortissimus, quem ego credidi — hoc est enim *cor meum credidit,* proinde atque diceret *quem ego stultus homo credidi — summum fore suasorem ad bellandum, is me dehortatur dissuadetque, ne bellum faciam.* Caesellius autem forte ῥαθυμότερον iunctura ista verborum captus *quem cor* dictum putavit et *quém* accentu acuto legit, quasi ad *cor* referretur, non ad Hannibalem.

CXXXI[b] Donatus ad Ter. Eun. IV, 3, 11 (652).
Rogas me? eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit] Aut ἀντίπτωσις est, ut *Urbem quam statuo vestra est*, aut *quém* cum interrogatione pronuntiandum, ut sit *qualem.* — (*Eunuchum quem dedisti*] quidam volunt *quém* distinguere, quasi dicat *qualem*; sed nesciunt hac figura multum veteres usos esse; eunuchum enim ad *dedisti* verbum rettulit; nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμα assumendum extrinsecus *is eunuchus.* nam quotiens uno nomine aut pronomine diversae declinationis enuntiationes comprehenduntur, necesse est, quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare.) *quém dedisti quás turbas* sic accipe quasi dixerit *quálem eunuchum* et *quáles turbas.*

CXXXI[c] Acron ad Hor. serm. I, 2, 17 (II p. 26 Hauth.).
Maxime, quis non, Iuppiter! exclamat simul atque audivit?] *quis* interrogative pronuntiandum.

CXXXI[d] Porphyrio ad Hor. od. III, 25, 3 p. 113, 1 M.
Quibus antris egregii Caesaris audiar aeternum meditans decus stellis inserere] *Quibus* gravi sono pronuntiandum. est enim subiunctiva particula *quae.* praeposito enim *quos agor in specus* subiunxit *quibus antris egregii Caesaris audiar*; in quo et ἐπεξήγησις figura adnotanda, quia praedicto *specus antra* subiecit, hoc est, qui specus antra sunt.

Cf. Acron ad h. l. (I p. 358 H.).

CXXXI[e] Servius ad Aen. VIII, 15.
Quid struat his coeptis, quem, si fortuna sequatur, Eventum pugnae cupiat] Si eum fortuna comitetur, quem finem suae velit esse victoriae, ipsum melius nosse, qui iam antiquus est hostis. [ergo *quém* acute pronuntiandum, ut sit ordo *quem eventum pugnae cupiat, si fortuna sequatur.*]

CXXXII Priscianus II, 30 p. 61, 5 H.
Interrogativum est quod cum interrogatione profertur, ut *quís, quâlis, quántus, quót, quótus,* cum suos servant accentus. infinitum est interrogativorum contrarium, ut *quis, qualis, quantus, quot, quotus,* cum in lectione gravi accentu pronuntiantur. Possunt tamen haec eadem et relativa esse et

similitudinis, sicut etiam *talis, tantus, tot*: haec tamen etiam redditiva dicuntur.

Priscianus XIII, 13; 14 p. 9, 20 H. CXXXIII

Sciendum autem quod *qui*, quando pro interrogativo vel infinito, id est pro *quis* ponitur, circumflectitur, quando autem pro relativo, acuitur per se, in lectione vero gravatur. similiter obliqui casus generalem accentuum regulam servant, quando sunt infinita vel interrogativa, quando vero relativa, acuuntur per se, idem in lectione gravantur per omnes syllabas.

Priscianus XVII, 142; 143 p. 179, 3 H. CXXXIV

Et sciendum quod, quomodo pronomina, quae finita sunt, habent et patria et possessiva, ut *meus tuus*, *noster vester*, *nostras vestras*, sic etiam nomen infinitum *quis* vel *qui* habet apud nos non solum patrium *cuias*[1]), quomodo apud Graecos ποδαπός, sed etiam possessivum, quod tam interrogativum esse potest, quam relativum, ut *cuius cuia cuium*; sed masculinum in fine acuitur differentiae causa. quod autem tam relativa quam interrogativa possunt esse, quomodo et primitiva, eorum usus comprobat. Vergilius in bucolico interrogative protulit: *Dic mihi, Damoeta, cuium pecus, an Meliboei?* Terentius in eunucho: *Quid virgo? cuia est?* idem in Andria: *Quid eam? suamne esse dicebat? — Non! — cuiam igitur?* Cicero vero in Verrinis de praetura urbana relative posuit haec eadem: *cuia res est, cuium periculum.* et necesse est omnibus ea gravari syllabis, quando sunt relativa, quomodo et primitiva eorum relationem significantia.

Priscianus XVII, 29 p. 127, 2 H. CXXXV a

Ἀοριστῶδες quoque hoc idem, id est τὸ ὅς, nominant μόριον, id est infinitam particulam, quando pro ὅστις accipitur, quod proprie est apud nos *qui*, ut *qui interficiet tyrannum, praemium accipiat.* et necesse est eandem hanc esse partem orationis quam *quis*, cum etiam obliqui in omnibus similes sunt eorum casus absque accentibus. et *qui* quidem pro *quis* infinito vel interrogativo accipitur, *quis* vero pro relativo numquam. quomodo ergo *qualis* et *quantus*, sive interrogativa

---

[1]) Cf. XCVI.

sint sive infinita sive relativa, quamvis mutent accentus, non sunt diversae partes, sic neque supra dicta.

CXXXV[b] Priscianus partit. I, 34 p. 467, 28 K.

Et sciendum quod *qui* pro *quis* ponitur, *quis* autem pro *qui* non, et quod omnia huiuscemodi nomina relativa per se acuuntur, in contextu autem orationis gravantur, id est pro acuto in fine gravem accentum accipiunt.

CXXXV[c] Priscianus partit. VII, 137 p. 491, 19 K.

Cetera vero, quae sunt infinita vel interrogativa vel relativa substantiae vel qualitatis vel quantitatis vel numeri — substantiae infinitum vel interrogativum *quis*, relativum *qui*; qualitatis interrogativum vel infinitum vel relativum *qualis* (significat enim ποῖος paenultimo circumflexo et ποιός ultimo acuto et ὁποῖος), redditivum *talis*; quantitatis interrogativum vel infinitum vel relativum *quantus* (significat enim πόcος paenultimo acuto, quod est interrogativum, et ποcός ultimo acuto, quod est infinitum, et ὁπόcος, quod est relativum), redditivum *tantus*; numeri interrogativum vel infinitum vel relativum *quot* (significat enim πόcοι paenultimo acuto, quod est interrogativum, et ποcοί ultimo acuto, quod est infinitum, et ὁπόcοι, quod est relativum).

CXXXV[d] Priscianus partit. VIIII, 174 p. 501, 14 K.

Sunt autem substantiae vel qualitatis vel quantitatis vel numeri [infinita]. substantiae, ut *quis,* quod tam interrogativum est quam infinitum, cuius relativum est *qui,* quod per se quidem acuitur, in lectione vero gravatur. invenitur tamen etiam pro *quis,* atque tum circumflectitur. obliqui autem eorum casus, quando relationem significant, gravantur. qualitatis *qualis,* quod paenultimam circumflectit, quando interrogativum est; quando vero infinitum est vel relativum, acuitur ultima, quae tamen in lectione sopitur. eius redditivum *talis.* Dic quantitatis. *Quantus,* quod similiter tria significat: interrogationem, quando paenultima acuitur; quando vero ultima, infinitum vel relativum est, quod similiter in lectione sopitur; eius redditivum *tantus.* numeri *quot,* quod similiter tria significat, interrogationem, infinitionem, relationem; sed quando interrogativum est acuitur, quando autem relativum vel infinitum in lectione gravatur; eius redditivum *tot.*

CXXXVI[a] Priscianus V, 67 p. 183, 14 H.

Siquis ad imitationem εἴτις graeci enclitice prolatum quidam putant, ut *númquis, néquis.* ostenduntur tamen ea sine dubio composita tam a feminino singulari quam a neutro plurali

in *a* desinentibus. compositio enim, non enclisis, corrumpere dictiones solet. dicimus enim *siqua, nequa,* ut *aliqua.*

Donatus ad Ter. Hec. V, 4, 25 (860). CXXXVI[b]

Dic mi harum rerum numquid dixti meo patri?] *Num aliquid:* acuendum ergo *quíd.*

Priscianus XVII, 39 p. 132, 3 H. CXXXVII[a]

Et quomodo supra dicta generalia nomina sunt infinita vel interrogativa vel relativa vel redditiva, sic adverbia quoque inveniuntur, ut nomen infinitum *quis* et *aliquis,* adverbium *aliquo* et *alicunde* et *alicubi* et *aliqua*; nomen interrogativum et relativum *qualis* ποῖος καὶ ὁποῖος, et *quot* πόσοι καὶ ὁπόσοι, similiter adverbium interrogativum et relativum *qualiter*[1]) ποίως καὶ ὁποίως, ut πῶς καὶ ὅπως, *quotiens* ποσάκις καὶ ὁσάκις; nomen redditivum *talis* et *tot,* adverbium *taliter* et *totiens.* et quemadmodum nomina interrogativa generalem accentuum legem servant, relativa vero in fine acuuntur, sed in contextu orationis praeposita ipsum quoque acutum in gravem convertunt, ut *qui, cuius, cui, qualis, quantus,* sic adverbia *qualiter, quotìens.* Lucanus in I: *Qualitèr expressum ventis per nubila fulmen.* idem in eodem: *cursumque furoris Teutonici quotièns Romam fortuna lacessit, Hac iter est bellis.* Hoc idem localia et temporalia servant adverbia, quae omnes generaliter species localium vel temporalium tam adverbiorum quam nominum sibi subiungunt, quae tam interrogativa sunt quam relativa, quattuor differentias habentia: ad locum, ut *quo,* in loco *ubi,* de loco *unde,* per locum *qua.* haec enim quoque relativa quidem gravantur per omnes syllabas, quando praeponuntur aliis dictionibus, quomodo et supra dicta nomina, de quibus in libro qui est de accentibus latius tractavimus.

Festus p. 258 M.	Paulus p. 259 M.
Quando cum gravi voce pronuntiatur, significat *quod,* acuta est temporis adverbium, ut Plautus in Menaechmis ait *Ideo quia mensam, quando edo,*	*Quando* quum gravi voce pronuntiatur, significat *quod, quoniam,* et est coniunctio; *quando* acuto accentu est temporis adverbium.

CXXXVII[b]

[1]) *qualiter* etsi unus cod. S habet, tamen omittere cum Hertzio nolui.

detergeo et in Pseudulo: *Dabo, quando erit. Ducito, quando habébis*; et Ennius l. XVI: *Nox quando mediis signis praecincta volabit.*

CXXXVII[c] Charisius p. 111, 27 K.

Quando acuta prima syllaba interrogationem temporis significat, sed posteriore acuta *siquidem*, ut Vergilius *quando tot stragis acervos*; si vero producatur, ut puta *quandoque illud faciet*, futurum tempus[1]).

Cf. Charisius p. 225, 21 K. = Diomedes p. 416, 14 K.

CXXXVII[d] Porphyrio ad Hor. od. I, 24, 8 p. 29, 25 M.

Quando ullum] Acuta priore est syllaba *quándo* enuntiandum, ut vim interrogativam habeat.

CXXXVII[e] Porphyrio ad Hor. serm. I, 1, 1 p. 182, 14 M.

Qui fit Maecenas] . . . *Quî* autem circumflexe pronuntiandum. significat enim *quare*, sicut etiam multi locuntur dicentes *quî fieri potest* pro *quomodo fieri potest.*

CXXXVII[f] Victorinus a. gr. p. 203, 10 K.

Rationales quae sunt? *Ita*, *itaque*, *proinde, proin, denique,* quae magis adverbia esse mihi videntur, praeter illas coniunctiones, quae accentu discernuntur ab adverbiis; (*nequaquam, nusquam, quamvis*, *quandoquidem*, *quinetiam, sin*, *seu, sive, namque, nisi*, *nisisi*, *sedenim, propterea*, *interea*, *quatenus, quamobrem*, *sane*, *certe, nunc. quando* non magis adverbium temporis videtur esse. cum acuto accentu effertur adverbium est temporis; cum autem gravi, coniunctio causalis: significat enim *quia* vel *quoniam*, ut *quando haec te cura remordet.*) sunt revera quaedam, de quibus ambigi potest, unde merito quidam adverbia coniunctiva dixerunt vel coniunctiones adverbiales.

CXXXVII[g] Priscianus XV, 29 p. 82, 24 H.

Quando autem et interrogativum et relativum est et infinitum. interrogativum, ut *quándo venisti?* ; relativum, ut *quandò eram iuvenis, peccavi*; infinitum *quàndò veniam, faciam.* accentu tamen discernitur, quomodo et nomina interrogativa et relativa.

---

[1]) Ita scripsi quam maxime servatis cod. Neap. vestigiis: *Qn̄o* — *significat s. posterior a^sig ut uerḡ quando* — *quandoq. illud* . . . . . . *ū tempus.* Keilius *sed si posterior acuatur siquidem significat* scripsit et in fine *ostendit* adiecit.

Priscianus XV, 30 p. 83, 11 H. CXXXVII[h]
. . . *Ubi*, quod interrogativum paenultimam acuit, ut si dicam *úbi est Pamphilus?*, relativum gravatur, ut Vergilius in I Aeneidos: *Saevus ubì Aeacidae telo iacit Hector, ubì ingens Sarpedon, ubì tot Simois correpta sub undis*, quomodo et *unde*, ut Horatius in II sermonum *Únde et quo Catius?* interrogativum acutum paenultimum[1]) habet, relativum gravatur; Vergilius in I *genus undè Latinum . . . . . . qua*; hoc quoque, quomodo omnia infinita, id est *quo, ubi, unde*, quando relativum est, gravatur, aliter suum accentum servat.

Priscianus XVII, 50 p. 138, 21 H. CXXXVII[i]
Quorsum quoque ex *quo* et *versum* compositum tam interrogativum quam relativum et infinitum esse potest omnium localium ad regionem aliquam vergere demonstrantium, ut si interrogem *quorsum vadis?* bene redditur *horsum, istorsum, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, orientemversus, occidentemversus* et similia. idem et relativum est, cum gravatur, ut si dicam *quorsùm ille ierat, et ego ii*, et infinitum, ut *quòrsùm ille vadit, et tu vade.*

Priscianus XVIII, 269 p. 347, 6 H. CXXXVII[k]
Πη apud Graecos infinitum gravatur, interrogativum circumflectitur. similiter apud nos *qua* et *quo*.

Isidorus etym. I, 17, 3. CXXXVII[l]
Unde venit Titan et nox ubi sidera condit, *ùnde* hic gravis est, minus enim sonat quam acutus et circumflexus.

Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII. p. 176.) CXXXVII[m]
Sunt item quaedam quae a regulari ratione recedunt. nam per omnes syllabas gravantur, circumflexi vel acuti accentus fastigio carent. plenius ergo intuendum est, ut hoc intellegere possimus. non omnes partes orationis aequales sunt. nam nomen et verbum et participium inter partes omnes excellunt. ceterae his appendices esse videntur. nam et pronomen subiacet nomini et verbo servit adverbium. coniunctio quoque et praepositio ad clientelam maiorum partium pertinent. hae enim partes, quae adpendices sunt, sic maioribus copulantur, ut tamquam in unam partem

---

[1]) *acutum paenultimum* (sc. locum) omnes fere cod., quod immerito et hic et aliis locis in *acutam paenultimam* sim. mutasse videtur Hertzius. Est autem, ubi non *locum*, sed *accentum* cogitatione addendum sit.

orationis coalescant. proprium vero fastigium perdunt, non omnes dumtaxat, sed pleraeque. adverbia pauca fastigium amittunt, quae sunt locorum, quando confirmativa sunt. nam si interrogativa fuerint, ut est *quo te Moeri pedes* et *qua fugis Aenea* et *qui genus unde domo* et *quove ire iubes? ubi ponere sedes*, circumflectuntur vel acuuntur iuxta regulas quae praedictae sunt. si autem confirmativa fuerint, eadem adverbia gravantur, ut *ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta.* hic enim *qui* pronomen gravem sumit accentum, quia non interrogativum, sed confirmativum est. adverbia confirmativa sunt, ut *genus unde Latinum* et illud *est hic, est animus lucis contemptor et istum qui vita bene credat emi quo tendis honorem.* hic ergo et *unde* et *quo* et *qui*, quia confirmativa sunt, gravantur. sed haec in pronominibus et adverbiis pauca sunt, in coniunctionibus plura.

CXXXVII[n] Alcuinus p. 2124 P.

Sed *quando* et *quomodo, ubi, unde, qua, quo* interrogativa acuuntur, relativa gravantur per omnes syllabas.

CXXXVIII Diomedes p. 453, 29 K.

Soloecismus fit modis generalibus quattuordecim aut, ut quidam, quindecim: inmutatione generum tam nominis quam pronominis, casuum, numerorum, personarum, temporum, per qualitatem verborum, per modos verborum, per adverbia, per praepositiones, per gradus conlationis, per geminationem abnuendi, per accentus[1]), per ordinis inmutationem. . . . . p. 455, 17 K.: quartus decimus fit per inmutationem accentus taliter, ut si quis adverbium loci *ubi*, quod est positum pro adverbio temporis, acute pronuntiet et ita fiat locale, cum debeat esse temporale, ut est in illo versu *inde ubi venere ad fauces. ubi* enim graviter legendum est, quoniam significat *postquam.* sic et alia similiter.

CXXXIX[a] Donatus in Ter. Eun. III, 1, 47 (437).

Scin siquando illa mentionem Phaedriae] *siquando* et prima syllaba acui potest et media; tamen variat sententiam.

CXXXIX[b] Priscianus XV, 10 p. 67, 16 H.

(Acutum assumpserunt accentum in antepaenultima) quomodo et coniunctio *si* et *ne* adverbium, cum praeponuntur *quando*,

---

[1]) Etsi praeter hunc Diomedis locum nusquam quod sciam grammatici de soloecismo per accentus facto verba faciunt, tamen rectissime cum huc rettulit Diomedes, quia quod vituperat non nisi in integra enuntiatione accidere potest, barbarismus vero ad solutum sermonem pertinet. V. CXLVII.

ut *síquando, néquando*; nam *alíquando* differentiae causa ab *aliquánto,* quod consimilem sonum habere videntur, acuit antepaenultimam.

Priscianus XV, 15 p. 72, 18 H. CXXXIX[c]

In *o* primitiva quidem, ut *quando* temporale et ex eo composita, *síquando, néquando, alíquando,* quae antepaenultimum habent acutum[1]), ne duae partes, ut supra dictum est, esse putentur divisae, vel differentiae causa.

Priscianus XV, 29 p. 82, 21 H. CXXXIX[d]

Quando quoque simplex et ex eo composita omnia, *alíquando, síquando, néquando,* quae et infinita sunt et antepaenultimo acuto proferuntur, quomodo etiam ab *inde* composita.

Alcuinus p. 2124 P. CXXXIX[e]

(Sunt alia communia diversorum temporum, ut *olim, dudum*) *quondam* praeteritum: *Quondam fuit in hac republica virtus*; praesens vero: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus*; futurum: *Tempus erit quondam.* *[2]) similiter ex eo composita, *alíquando, néquando,* quae in antepaenultimo[3]) accentum habent, ne duae partes putentur.

Cf. E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 177 H.).

CAPUT X.

De accentu praepositionum et adverbiorum cum eis cohaerentium.

Diomedes p. 433, 5 K. CXL

In Latinis neque acutus accentus in ultima syllaba potest poni nisi discretionis causa, ut in adverbio *poné,* ideo ne verbum putetur, et in quibusdam praepositionibus. nam praepositiones separatae monosyllabae, quantum in ipsis est, acui debent, sed iunctae casibus aut aliis partibus interdum vim suam perdunt secunturque illarum naturam et gravi, non acuto, sono pronuntiantur, ut *prodûco, dedûco.* item inveniuntur raro disyllabae, quae acui desiderant, ut est *circúm, intér.* denique circumflexus ponitur in ea particula, quae est apud Vergilium

---

[1]) V. CXXXVII[h] adn.

[2]) Lacunam indicavi, qua interciderit de *quando* adverbii in diversis temporibus usu explanatio.

[3]) *penultimo* Putschius; sed de ipsius grammatici dissensione cogitari vix potest.

ergô: *illius ergô Venimus*. *con* quoque praepositio conplexa *f* vel *s* subiunctas litteras producta *o* pronuntiabitur; *f* ut *cōnfudo, cōnfero, cōnfestim, cōnfertus*; eodem modo *s*, ut *cōnsulo, cōnscendo, cōnsono, cōnsisto, cōnsul*; et versa vice eadem aliis litteris praeposita corripitur, ut *cŏntio, cŏnduco, cŏntinuo, cŏnloco, cŏnverto, cŏnvoco, cŏnprehendo, cŏngrego.*

CXLI[a] Palaemon apud Charisium p. 231, 3 K.

(De praepositionibus Palaemon ita definivit) non nullae tam casui quam verbo praeponuntur, aliae tantum verbo, quaedam tantum casui. aliae mutato accentu in adverbia accedunt.

CXLI[b] Palaemon apud Charisium p. 189, 10 K. = Diomedes p. 407, 19 K.

Item ex praepositionibus, quae mutato accentu in adverbia recedunt[1]), haec: *infrá, ínfra stat*; *suprá, súpra stat*; *extrá, éxtra stat*; *intrá, íntra sedebat*; *ultrá, últra non faciam*; *citrá, cítra discurrit*; *circá, círca equitat*; *iuxtá, iúxta facit* id est *similiter*; *contrá, cóntra tendit*; *subtús, súbtus erat*; *corám, córam stetit,* id est *palam*; *anté, ánte venit*; *póst, póst sedet*; *propé, própe cecidit*, hoc est *paene*; *usqué, úsque illum mulcavit*, hoc est *valde*; item *illo úsque cum venisset*; *supér, súper stetit*[2]). et quamdiu sine casibus enuntiantur, adverbialiter eunt, receptis casibus in praepositiones[3]).

CXLI[c] Palaemon apud Charisium p. 231, 24 K.

Quaedam similiter ex universis mutato accentu in adverbia

---

[1]) *recedunt* Diomedis cod. Ap, *recidunt* BM; *recidunt* (e *supra* i) Charisii cod. Neap. Quocirca Keilius eo minus *accedunt* ex consimili Charisii loco, qui statim subsequetur, recipere debuit, quo facilius illic librarius post *accentu* errore potuit *accedere* inferre. Idem fortasse supra CXLI[a] restituendum est. Quantum autem valeat verbum *recedunt* ad Palaemonis doctrinam cognoscendam, sua sponte apparet. Quin etiam parum sibi constare Palaemonem effecit Keilius, quem ipse postea dicentem faciat *adverbia venire in praepositiones*.

[2]) *subter, super. et quamdiu* Keilius; idem apud Diomedem: *item * super *. quamdiu*. Sed cum in Charisii cod. Neap. pro *subter* scriptum sit *subter* (p *supra* b), hac correctione *super* effeci et *stetit* addidi, quod iam in Diomedis cod. B altera manus de coniectura adiecit.

[3]) *casibus praepositiones sunt* Diom., Keil.; *erunt* (s *supra* r) Neap.; idem *erunt* pro *eunt* (Diom.). Cur *in praepositiones* sc. *eunt* scripserim, v. infra.

recedunt[1]), quae etiam in adverbiis notavimus, et sunt *infrá, ínfra stat. . . úsque illo cum venisset.* et quamdiu sine casibus enuntiantur, adverbialiter eunt, receptis casibus in praepositiones[2]).

Diomedes p. 455, 22 K. CXLII

(Soloecismus . . . per inmutationem accentus) ut si adverbium *póst* gravi accentu pronuntietur, erit praepositio: [si acuto adverbium][3]) *et longo póst tempore venit.*

Quintilianus inst. or. I, 5, 25—29. CXLIII

Ceterum scio iam quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quaedam vocum discrimina verbum interim acuto sono finiant, ut in illis: *quae circúm litora, circúm Piscosos scopulos,* ne si gravem posuerint secundam, *círcus* dici videatur, non *circuitus.* . . . . mihi videtur condicionem mutare, quod his locis verba coniungimus. nam cum dico *circumlítora,* tamquam unum enuntio dissimulata distinctione, itaque tamquam in una voce una est acuta, quod idem accidit in illo *Troiae qui*[4]) *primus àbóris* . . . . . separata vero haec a praecepto non recedent, aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur.

Donatus p. 391, 11 K. CXLIV[a]

Separatae praepositiones acuuntur, coniunctae casibus aut loquellis vim suam saepe conmutant et graves fiunt.

Cledonius p. 78, 2 K. CXLIV[b]

Praepositiones: *ád* praepositio acutum habet; mutat accentum

---

[1]) V. supra.

[2]) *eunt* — *praepositiones* cod. Neap., nisi quod iterum *erunt* habet pro *eunt* ex Diomede certissima restituto mutatione. Pro *in praepositiones* Fabricius *inter praepositiones numerantur* proposuit; Keilius *in praepositiones veniunt* scripsit. Sed simpliciter *eunt* cogitatione supplendum est, uti etiam *in potestatem, voluntatem, possessionem ire* dicitur; quod vero parum concinne *adverbialiter eunt* — *in praep. eunt* coniungitur, id neque a tali scriptore alienum est et librorum mutationes facile potuit efficere.

[3]) *si acuto adverbium* tantopere turbat sententiarum nexum, ut mirer Keilium verba intacta reliquisse. Quid enim? *si adverbium post* nonne antea dictum est, et in hac ipsa re soloecismus inest, quod adverbium tamquam praepositio pronuntietur?

[4]) Iniuria Halmium *Troiaé quì* notasse recte monuit Corssenus II² p. 862 adn.; omnia enim ad praepositiones referuntur.

iuncta et loquellaris, ut *adêgit*, et penultima habet accentum. *praê praevértit*: *praê* habet circumflexum; ita et *ô* circumflexum habet, *omítto* in penultima acutum; Horatius tamen *o* brevem posuit. ait: *certus omitte tueri.* sed hoc metri gratia praesumpsit. — Acuuntur: acutae sunt *con di dis*; vim suam autem commutantes sunt graves, si dicamus *condûco, du* enim nunc producitur.

Cf. Iulianus Toletanus (An. Helv. p. CCXVII, 22 H.).

CXLV Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 177).

Praepositiones autem omnes sine fastigio sunt.

CXLVI[a] Audax a. gr. (Keil. Ind. Schol. Hal. 1875 p. IV).

Praepositionibus quot accentus accidunt? Tres: productus, pressus, et acutus, quos conpetentibus praepositionibus adnotabimus. at vero ceteras praepositiones praetermittimus, quoniam naturales, id est simplices accentus habere reperiuntur. sunt praepositiones quae aliis partibus orationis respondeant; sed hae intellectu discernuntur, ut puta *ante* quando praepositio et quando adverbium esse dinoscitur. quare hoc monemus, quod, quando *ante* cum casu suo et presso accentu pronuntiatur, praepositio nuncupatur, ut apud Virgilium: *Aeneae stetit ante pedes* et cetera talia. at vero quando *ante* non cum casu suo et tamen cum acuto accentu profertur, adverbium iudicatur, ut apud Virgilium: *ánte et Trinacria lentandus remus in unda* et apud Sallustium: *Antonius paucis ánte diebus erupit ex urbe*; item apud Virgilium: *saltem si qua mihi de te suscepta fuisset ánte fugam suboles.* sic et aliae praepositiones quae neque cum casu suo et acuto accentu inveniuntur, iam non praepositiones sed hoc quod significant appellantur.

Cf. Bonifatius a. gr. (Mai. class. auct. VII) p. 544.

CXLVI[b] Velius Longus p. 2218 P.

Multa nomina et contracta syllaba aliud significant et producta, quomodo aliud si producas *pīla* et corripias *pĭla.* et loco rursus transmutatus accentus partes quoque orationis immutat, ut aliud est *círcum* aliud *circúm*, aliud *érgo* aliud *ergô.*

CXLVI[c] Victorinus a. gr. p. 203, 22 K.

De Praepositione . . . . Harum quaedam mutato accentu fiunt adverbia. nam *ante* cum gravi accentu pronuntiatur, praepositio est, ut *ante focum, si frigus erit*; cum vero acuto, fit adverbium temporis, ut *ánte quidem summa de re statuisse Latini.* item *post* praepositio est, cum dicimus *post tergum*; cum vero significat *postea,* fit adverbium temporis, ut *póst habui tamen illorum mea*

seria ludo. harum quaedam verbis etiam adiunguntur, *per*, *ad*, *trans*, *ante*, *circum*, *inter*, *post*, *ob*. . . . . . Quae ablativo casui adiunguntur? *a*, *abs*, *e*, *ex*, *pro*, *prae*, *de* et reliqua. harum aeque quaedam mutato accentu fiunt adverbia, veluti est *cum*. nam quotiens casui iungitur, praepositio est, ut *cum duce, cum amico*; quotiens verbo, erit adverbium, ut *cúm venit aulacis* et *cúm subit Aeneas concursu ascendere magno.*

Probus inst. a. p. 149, 27 K. CXLVI[d]

Item per accentum discernuntur praepositiones ab adverbiis: ut puta *ante*, si gravem accentum habeat, erit praepositio, ut apud Vergilium *Aeneae stetit ante pedes*; si vero *ante* acutum accentum habeat, erit adverbium, ut apud Vergilium *ánte et Trinacria lentandus remus in unda.*

Cledonius p. 69, 30 K. CXLVI[e]

(*Nê* circumflexum adverbium est, *né* acuto quando dicimus, coniunctio est) sensu vero discernimus *ante* et cetera.

Martianus Cap. III p. 67, 21 Eyss. CXLVII

Contextus orationis plerumque adimit aut mutat proprios sonos singulis vocibus. adimit his quae referuntur ad aliquid sequens, ut praepositionibus: *ante úrbem.* nam hic *ante* perdidit acutum sonum prioris syllabae. item *post múros.*

Priscianus XIIII, 4 p. 26, 4 H. CXLVIII[a]

Sciendum tamen quod omnia adverbia, quae solent casibus adiungi, romani artium scriptores inter praepositiones posuerunt, quia sunt praepositiva casualium et gravantur omnibus syllabis vel quia interpretatio eorum apud Graecos modo praepositionis modo adverbii vim obtinet.

Priscianus XIIII, 9 p. 28, 24 H. CXLVIII[b]

Etiam illud causa fit, ut sint ampliores apud nos, quod omnia adverbia localia, quae solent casualibus praeponi, inter praepositiones nostri posuerunt, ut supra diximus, tenoremque earum in eis quoque servaverunt, ut *ponè tribunal, adversùm hostes, citrà forum, contrà inimicos, infrà tectum, suprà montem, extrà muros, intrà urbem, ultrà Alpes.*

Priscianus XIIII, 12 p. 30, 25 H. CXLVIII[c]

Quae vero certae alicuius sunt significationis, quamvis secundum Graecorum rationem pleraeque inter adverbia poni debent, id est *supra*, *infra*, *extra*, *pone* et huiuscemodi alia, tamen, quia et casualibus plerumque praeponuntur et gravantur more

praepositionum et loco plerumque graecarum accipiuntur, ut dictum est, praepositionum, ut *supra caelum*, ὑπὲρ τὸν οὐρανόν, *infra terram*, ὑπὸ τὴν γῆν, ideo non penitus irrationabiliter ab artium scriptoribus latinarum inter praepositiones quoque sunt receptae.

CXLIX[a] Censorinus apud Priscianum XIIII, 15—17 p. 33, 1 H. Praepositio quando per defectionem verborum profertur, generalem servat accentuum regulam [ab acuto incipit]; ut Virgilius in III Aeneidos: *O mihi sola mei súper Astyanactis imago*, et Terentius in Andria: *Adeo modesta, adeo venusta, ut nihil súpra*; et hoc ad similitudinem Graecorum. Homerus: ἀλλ᾽ ἄνα, ἔνι τοι φρένες, πάρα δ᾽ἀνήρ, χαλεπὴ δὲ θεοῦ ἔπι μῆνις. . . . . . . sin autem in fine sit praepositio sensus, omni modo generalem servat accentuum legem [ab acuto incipit], ut: *homines mille venerunt súpra*; nisi differentia prohibeat, sicut dictum est, ut *circúm*, Virgilius in I Aeneidos: *maria omnia circúm*, in fine acuitur, ne adverbium vel nomen esse putetur, sicut et apud Graecos διά. et si loco adverbiorum vel interiectionum accipiuntur, similiter mutant accentum sibi destinatum. Terentius in Eunucho: *Pèrpulchra credo munera aut nostris similia*; et Lucanus in II: *prô tristia fata! Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor?* hoc tamen quoque Graecis auctoribus facimus: sicut enim praepositiones loco adverbiorum, sic etiam adverbia loco praepositionum solent poni. Homerus: γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών, περὶ pro πέριξ, praepositionem posuit pro adverbio. idem: Ἴλιον εἴσω pro εἰς Ἴλιον, adverbium pro praepositione. nihil igitur mirum apud nos quoque praepositiones pro adverbiis vel adverbia pro praepositionibus inveniri.

CXLIX[b] Priscianus XIIII, 23 p. 37, 1 H.
Nostri vero ideo inter praepositiones eas dictiones posuerunt, quia semper praepositivae sunt, nisi licentia hoc poetica mutaverit, et gravantur praepositae, quod praecipue suum est praepositionis. sunt autem pleraque huiuscemodi adverbia localia, ut *cis*, *trans*, *apud*, *ante*, *contra*, *circum* et reliqua similia.

CXLIX[c] Censorinus apud Priscianum XIIII, 35—39 p. 42, 7 H. *Extra* quoque, quod significat τὸ ἐκτός apud Graecos, adverbium est derivatum a praepositione *ex* tam apud illos quam apud nos. nostri autem ideo non solum inter adverbia, sed

etiam inter praepositiones acceperunt, quia et sine casualibus verbo adiungitur, et praepositum casualibus gravatur, ut Persius: *Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, éxtra Meite*; Terentius in Phormione: *extrà unam aniculam*. . . . (*inter*) hoc quoque apud Graecos sine dubio adverbium est, significat enim τὸ μεταξύ. nec solum casualibus praeponitur apud nos et gravatur, sed etiam verbis potest adiungi et paenultima acui, ut si dicam: *tu dextrorsum, ille sinistrorsum, ego curro ínter*. . . . hic ergo quoque admoneo, quod saepe dixi, omnia ea, quae supra dicta apud Graecos sine dubio adverbia sunt, Latinos etiam inter praepositiones ponere, eo[1]), quia frequentissime casualibus praeponuntur et gravantur, quod suum est praepositionum, et quod interpretatio ostendit etiam praepositionum quarundam loco eas poni, ut *inter* modo τὸ διά, modo τὸ ἐν ostendimus demonstrare. . . . *infra* etiam ab *in* esse natum puto, et significat τὸ κάτω, quod est apud Graecos adverbium. id quoque propter supra dictas causas inter praepositiones recipitur a Latinis; frequentissime enim praeponitur casualibus et gravatur. Terentius in Eunucho: *ego te esse infrà omnes infimos puto*. . . . *coram, palam, sine, absque, tenus*, quorum omnium interpretationes apud Graecos adverbia sunt. sed dixi saepissime, quod nostri huiuscemodi dictiones, quando praeponuntur casibus accusativis vel ablativis, per transitionem personarum inter praepositiones accipiunt et gravant omnibus syllabis; quando vero verbis coniunguntur et intransitivae sunt et generalem servant accentuum rationem, inter adverbia numerant.

Censorinus apud Priscianum XIIII, 40; 41 p. 45, 25 H. CXLIX[d]

Quod Censorinus quoque de accentibus approbat, sic dicens: *super* praepositio apud Virgilium in I: *Multa supèr Priamo rogitans supèr Hectore multa*. Sallustius vero in historiis adverbium hoc protulit: *ubi multa nefanda casu súper ausi atque passi*. sed mihi videtur Sallustius quoque loco praepositionis hoc praepostere protulisse; sed Virgilius in II Aeneidos: *satis una superque Vidimus excidia* adverbium sine dubio in hoc

[1]) *eo* scripsi pro *ea*; an *propterea*?

loco accepit. idem Censorinus haec etiam subiungit: *post* praepositio, Virgilius in III georgicon: *Pòst montem oppositum*; idem in I Aeneidos adverbium: *Póst mihi non simili poena commissa luctis. ante* praepositio in I georgicon: *Antè Iovem nulli subigebant arva coloni*; at in III Aeneidos adverbium: *A'nte et Trinacria lentandus remus in unda. supra* praepositio, Virgilius in V: *Olli caeruleus suprà caput astitit imber*; adverbium Sallustius in Iugurthino: *pauca súpra repetam. contra* praepositio apud Virgilium in VIII: *Contrà Neptunum et Venerem contraque Minervam*; idem adverbium in II georgicon: *Cóntra non ulla est oleis cultura. prope* praepositio, in VIII Virgilius: *Est ingens gelidum lucus propè Caeritis amnem*; adverbium in Terentii Andria: *Própe adest, cum alieno more vivendum est mihi. ultra* praepositio apud Sallustium in Iugurthino: *Maurique vanum genus, ut alia Africae, contendebant antipodas ultrà Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere*; adverbium: *lego assidue nihil últra faciens.* haec Censorinus, ut supra dixi, de accentibus tractans.

CXLIX[e] Censorinus apud Priscianum XIIII, 48 p. 51, 11 H.
Clam, ut diximus apud Graecos adverbium est, apud nos autem ideo praepositio accipitur, quia et casualibus praeponitur et gravi accentu pronuntiatur, ut Terentius in Andria: *Nec clàm te est, quam illi nunc utraeque † res inutiles.* potest tamen etiam apud nos adverbium ostendi, cum verbo invenitur iungi non serviens casui, ut Virgilius in I Aeneidos: *Clám ferro incautum superat securus amorum.*

CXLIX[f] Priscianus partit. I, 42 p. 469, 4 K.
Quo accentu pronuntiatur *ab*? Per se acuto, in versu vero gravi (sc. *Troiae qui primus àb oris*), sicut et aliae omnes praepositiones in suo loco positae, id est praepositivae: nam est quando mutato ordine postponuntur et mutant accentum.

CL Palaemon apud Charisium p. 234, 16 K.
Item *ante illum, post illum, inter illum, penes illum*: hae praepositiones non numquam promiscue accipiuntur: et postponi solent et accentum utique mutant, aliquando et casum, quale est *paucis ánte diebus*, item *paucos póst annos*, item *arma ínter iuvenum*, item *illum pénes*, ut sit *penès illum, antè paucos dies, intèr arma iuvenum.*

Servius ad Aen. I, 32. CLI[a]
Errabant acti fatis maria omnia circúm] In fine accentum ponimus contra morem latinum; sed corruptio haec facit: namque praepositio postposita corrupta est sine dubio.

Servius ad Aen. IV, 416. CLI[b]
Anna vides toto properari litore circúm Undique convenere] [*circum* non est praepositio sed adverbium loci] nam postposita praepositio et accentum mutavit et suas perdidit vires.

Servius ad Ecl. V, 3. CLI[c]
Hic corulis mistas intér consedimus ulmos] Sane *inter* praepositio, quia postposita est, mutavit accentum, sicut *circúm*.

Servius ad Aen. II, 681. CLI[d]
Manus intér] Mutavit accentum praepositio postposita. sane *inter* plerumque postponitur[1]), sed raro apud Vergilium, ut *Hunc intér fluvio Tiberinus amoeno.*

Servius ad Ecl. I, 30. CLI[e]
Respexit tamen et longo post tempore venit] Aut ἀρχαϊσμός est: antiqui enim *post, ante, circum* etiam ablativo iungebant, quod hodie facere minime possumus, aut *longopost* una est pars orationis, ut sit sensus *venit tempore longopost*; sicut *multominus, multomagis, postmodo.* Horatius: *Postmodo quod mi obsit clare multumque locuto.* et *longopost*, ut postposita videatur esse praepositio et in unitatem coacta.

Servius ad Aen. XII, 177. CLI[f]
Quam propter] [*própter* paenultima] *ter* habet accentum, quia est postposita praepositio [i. e. *propter quam tantos*, ut graece περὶ βασιλείας, cum contra dicatur βασιλείας πέρι, quia est postposita praepositio].

Servius ad Georg. II, 1. CLI[g]
Hactenus arvorum cultus et sidera caeli] *Hactenus*, ut multi volunt, una pars orationis est, et est adverbium significans *hucusque*; alii duas partes volunt, pronomen et adverbium, ut

---

1) *postponitur* scripsi, quod confirmavit cod. Leid. Burmanni. *praeponitur* (Daniel. Lion.) et *pro per ponitur* (Stephanus) correxerunt, qui *plerumque* nescirent haud raro apud grammaticos *interdum* significare, non *saepissime.* Etiam de *praepostere ponitur* cogitari potest.

sit *tenus hac,* sicut *Et crurum tenus a mento palearia pendent.* sed melius est unam partem accipere orationis *háctenus.*

Cf. Schol. Bern. ad Georg. II, 1 (Hagen. Ann. Phil. Suppl. t. IV p. 885).

CLI[h] Servius ad Aen. V, 603.

Hac celebrata tenus] Tmesis est [hoc est] *hac tenus,* et hic sermo, quantum ad artem spectat duas continet partes orationis, ut *hac* pronomen sit, *tenus* praepositio, sicut *pube tenus* et *crurum tenus*; sed iam usus obtinuit, ut pro una parte habeatur, ergo adverbium est. etenim omnis pars orationis cum desierit esse quod est, in adverbium migrat; et est temporis: nam *hucusque* significat.

CLI[i] E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 184, 27 H.).

Duas etiam partes vide deinceps, ne sub uno accentu pronunties, id est *verum tamen* . . . . nisi forte cum sint etiam duae partes *pube tenus* te fallat, sed ne diutius fallat, adtendendum est, quod praepositiones, quando nominibus apponuntur, gravantur; ergo *tenus* ut gravaretur praeposita regulariter, nihilominus gravatur et supposita.

CLII[a] Priscianus XIIII, 6 p. 27, 4 H.

Accentum habent praepositiones acutum in fine, tam apud Graecos quam apud nos, qui tamen cum aliis legendo in gravem convertitur, nisi praepostere proferantur, quod Aeolis quoque, quamvis fugiant in fine acutum, in hac parte solent servare, quos in plerisque secuti in hoc quoque sequimur. cum vero praepostere ponuntur, monosyllabae acuto, disyllabae paenultimo acuto proferuntur, nisi aliqua differentia, ut praedictum est, impediat, ut Virgilius in I Aeneidos: *maria omnia circúm*: finalem enim acuimus syllabam, ne si paenultimam acuamus, nomen vel adverbium putetur esse. tantam autem praepositioni tenorum mutationem facit ordinis commutatio, quod quibusdam pronominibus etiam enclitici vice fungitur, quae sunt haec *mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum,* de quibus in pronomine latius tractatum est. nec mirum in hac parte orationis Romanos in fine reponere accentus, quamvis sint disyllabae, nec non Aeolis contra consuetudinem suam idem facere, cum annectitur semper praepositio sequenti dictioni et quasi una pars cum ea effertur, quamvis per appositionem proferatur, unde et acutum in gravem con-

vertit; idque Donatus etiam in secunda arte de praepositione se intellegere confirmat his verbis: *separatae praepositiones acuúntur, coniunctae casibus aut loquellis vim suam saepe commutant et graves fiunt.* Censorinus vero plenissime de his docet in libro, quem de accentibus scribit.

Censorinus apud Priscianum XIIII, 15; 16 p. 33, 12 H. CLII[b]

Nec non etiam si praepostere proferatur (sc. praepositio generalem servat accentuum regulam), ut Virgilius in XII: *decus imperiumque Latini Te pénes*; hoc quoque a Graecis. Homerus: μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ — Ὧι ἔπι πολλ᾽ ἐμόγηϲα — νεῶν ἄπο καὶ κλιϲιάων. est tamen quando postposita quoque gravatur, si genetivus sequatur redditus ad supra positum accusativum vel ablativum, ut si dicam: *virtutem proptèr imperatoris,* vel *iustitia ìn legum.*

Priscianus partit. I, 42 p. 469, 6 K. CLII[c]

Est quando mutato ordine postponuntur et mutant accentum, ut *te própter*, *eundem própter*: hic paenultimum acutum habet accentum, quod si praeponeretur, sine dubio gravaretur.

Censorinus apud Priscianum XIIII, 49 p. 52, 19 H. CLII[d]

Sine autem etiam verbum est imperativum, sed accentu differt, quando praeponitur, quomodo *pone*[1]): praeposita enim gravatur utraque syllaba, ut *sìnè timore,* postposita paenultimam acuit; ut Virgilius in X: *Si sìnè pace tua atque invito numine Teucri*; idem in III Georgicon: *Te síne nil altum mens incohat.*

Cf. Alcuinus p. 2140.

Priscianus XII, 27 p. 594, 15 H. CLIII[a]

Mecum autem et *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum* per anastrophen cum pronomine praepositio est, unde et casus, qui serviunt praepositioni *cum,* id est ablativi, in utroque numero trium personarum componuntur. quomodo igitur si dicam *propter te* et *te propter*, idem significo, et *cum quibus* et *quibus cum,* sic *cum me* et *mecum.* nam antiquissimi utrumque dicebant, sed in plurali primae personae cacemphati causa solebant per anastrophen dicere *nobiscum* pro *cumnobis*; itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt teste Plinio, qui hoc

---

[1]) De *pone* et *ergo* v. LXXX–LXXXIX.

in II sermonis dubii ostendit, et Cicerone, qui de oratore his utitur verbis[1]): 'noluimus *cumme* et *cum te* dicere, ne eadem conputatione adiungendum esset *cum nobis*, sed potius *mecum* et *tecum* et *nobiscum* dicimus, *cum* praepositione, quae facit obscenum, assidue postposita.' antiqui tamen absque observatione naturali ordine haec protulisse inveniuntur. nulla tamen monosyllaba praepositio anastrophen patitur, nisi ea, et fortassis ideo enclitici vice fungitur, quia enclitica monosyllaba sunt *que, ve, ne.*

CLIII[b] Priscianus XIIII, 1 p. 24, 15 H.

Est autem quando per appositionem prolatae praepositiones praepostere ponuntur, poetica plerumque auctoritate; nam sine metris scribentes rarissime hoc invenies facere, nisi in *cum*, quae solet quibusdam pronominibus apud omnes similiter postponi. quando autem ordinem mutant, mutant etiam accentum, nisi differentia prohibeat, quod etiam coniunctiones apud Latinos praepositivae vel communes, si postponantur facere solent, ut *igitur, quoniam, saltem.* praepositae autem gravantur omnibus syllabis, postpositae acuuntur in principio.

CLIII[c] Priscianus XIIII, 29 p. 39, 17 H.

Praepostere tamen, ut quibusdam placet, cum ablativo pronominum componitur *cum* praepositio, ut *mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum*; aliis vero ideo enclitici vice fungi postposita videtur, ne, si acuatur, adverbium esse putetur, de quo tamen in pronomine latius disseruimus.

CLIII[d] Priscianus XIIII, 47 p. 51, 7 H.

Cum praepositio, quando pronominibus postponitur primae vel secundae personae vel etiam *se*, quae est tertiae, enclitici vice fungitur, ut supra dictum est: *mécum, técum, sécum, nobíscum, vobíscum*; aliis vero postposita acuitur, ut *quocúm, quacúm, quicúm, quibuscúm.*

Cf. Alcuinus p. 2140 P.

CLIII[e] Alcuinus p. 2136 P.

Franco: si umquam supponuntur praepositiones? Saxo: etiam, sed raro; et hoc eo, euphoniae causa id est sonoritatis, ut in pronominibus *mecum, tecum, nobiscum, vobiscum*; sed et poetica auctori-

[1]) Cum Cicero or. 45, 154 sq. aliis utatur verbis, haud improbabiliter censor Krehlianae edit. in Diar. lit. Ien. a. 1822 p. 423 verba allata Pliniana potius esse opinatur, ut Ciceronis verba perierint.

tate in metris praepostere eas poni invenies, ut *maria omnia circúm*, et ibi finalis syllaba acuitur, ne nomen putetur. Fr. habent praepositiones accentus per se? S. habent acutum accentum in fine, tam apud Graecos, quam apud Latinos, qui tamen in gravem semper vertitur, quia praepositio ubique sequenti dictioni, seu per appositionem, seu per compositionem, adnectitur et quasi una pars cum ea profertur.

Paulus p. 19 M. CLIV

Adeo duas habet significationes; nam cum prima acuta effertur, idem significat, quod *accedo,* ut cum dicimus *ádeo praetorem*; cum autem secunda, idem quod *usque eo,* non quidem secundum rationem, quia *ad* praepositio accusativis accommodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine.

Annianus apud Gellium N. A. VI (VII), 7. CLV[a]

Annianus poeta praeter ingenii amoenitates literarum quoque veterum et rationum in litteris oppido quam peritus fuit et sermocinabatur mira quadam et scita suavitate. is *áffatim,* ut *ádmodum,* prima acuta, non media, pronuntiabat atque ita veteres locutos esse censebat. itaque se audiente Probum grammaticum hos versus in Plauti Cistellaria legisse dicit: *Potine tu homo facinus facere strenuum? aliorum áffatim est Qui faciant sane ego me nolo fortem perhiberi virum,* causamque esse huic accentui dicebat, quod *affatim* non essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam vocem coaluisset, sicuti in eo quoque, quod *exadversum* dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una, non duae essent partes orationis; atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus: *In quo haec discebat ludo exádversum loco Tostrina erat quaedam.* addebat etiam quod *ad* praeverbium tum ferme acueretur, cum significaret ἐπίτασιν, quam *intentionem* nos dicimus, sicuti *ádfabre* et *ádmodum* et *ádprobe* dicuntur. cetera quidem satis commode Annianus; sed si hanc particulam semper, cum intentionem significaret, acui putavit, non id perpetuum videtur: nam et *adpôtus* cum dicimus et *adprîmus* et *adprîme,* intentio in his omnibus demonstratur, neque tamen *ad* particula satis commode accentu acuto pronuntiatur. *adprobus* tamen, quod significat *valde probus,* non infitias eo, quin prima syllaba acui debeat. Caecilius in comoedia quae inscribitur Triumphus vocabulo isto utitur: *Hierocles hospes*

est mi(hi) adulescens ádprobus. num igitur in istis vocibus, quas non acui diximus, ea causa est, quod syllaba insequitur natura longior, quae non ferme patitur acui priorem in vocabulis syllabarum plurium quam duarum? *adprimum* autem *longe primum* L. Livius in Odyssia dicit in hoc versu: *Ibidemque vir summus adprimus Patroclus.* idem Livius in Odyssia *praémodum* dicit, quasi *ádmodum*: *Parcentes,* inquit, *praémodum,* quod significat *supra modum,* dictumque est quasi *praeter modum,* in quo scilicet prima syllaba acui debebit.

CLV[b] Priscianus XV, 19 p. 75, 7 H.

A *fatu áffatim* vel magis a Graeco ἀφάτως id est *abunde,* unde et corripitur *fa.*

CLVI Pompeius p. 279, 37 K.

Praepositiones quando solae sunt, plerumque ipsae acuuntur; quando autem cohaerent graves fiunt, etiam si fuerint circumflexae [plus est hoc]. puta *ád* acutum habet accentum; fac *àdêgit*: ecce iam perdit accentum correptum, et accipit accentum productum et illa gravem habebit. hoc etiam de illa, quae circumflexum habet accentum, *praê praèvîdit*: ipsa *vî* habet accentum et illa gravem habet. ergo omnis praepositio, si vel[1]) non habeat acutum, sed circumflexum, tamen, si cohaereat et coalescat in unam partem, facit eam alium accipere accentum. perdit acutum vel flexum[2]) et accipit gravem, id est non ipsa sonat, sed illa pars orationis, cui iungitur.

CLVII[a] Priscianus XV, 19 p. 75, 14 H.

In *um* primitiva pauca sunt, *iterum, sursum, rursum* (et *rursus*), *prorsum* (et *prorsus*); derivativa vel decomposita *dextrorsum, sinistrorsum.* — Horatius sermonum II: *Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique Error.* sed antiqui etiam *dextrovorsum* dixerunt. Plautus in Rudente: *Sed dextrovorsum aversa est in malam crucem —, deorsum, horsum, orientemversum, occidentemversum*; *deorsum versum* Terentius in Adelphis; similiter *utroquevorsum* Plautus in Captivis: *Utroquevorsum rectum est ingenium meum.* haec enim quoque composita esse videntur,

---

1) *sive non habeat acutum sive gravem, sive non acutum sed circumflexum* A, *sive non habeat acutum, sed circumflexum* BCa, *sive acutum habeat, sive non habeat acutum, sed circumflexum* Keil. Multo simplicius *si vel,* ut supra *etiam si* cet.

2) *perdit accentum flexum et* ABC, *perdit accentum acutum vel circumflexum* Keilius.

cum sub uno accentu proferantur; melius tamen dicemus quod *versum* inclinat sibi supra posita nomina.

Priscianus XV, 31 p. 84, 11 H. CLVII[b]

Sunt quaedam unam loci significationem habentia, quae est ad locum, ut *horsum, istorsum, deorsum, sursum, sinistrorsum, dextrorsum.* similiter adverbia ostenduntur composita *Italiamvérsus, Siciliamvérsus*[1]), quae ipse accentus ostendit esse composita, nisi si dicamus, quod *versus* inclinat sibi supra posita nomina.

Diomedes p. 405, 35 K. CLVIII[a]

Adverbiis addi praepositiones plurimi negant, sed tamen lectum invenimus *in primo*, quod est ἐν πρώτοις, et quae dixerunt veteres *a mane* et *ab hinc*: *abhinc annos decem natus est*, quod est *ante decem annos natus est.* item *posthac, antehac, exinde, dehinc*[2]), *adusque, abusque* et poetice *de subito, de repente, de improviso*; quorum quaedam velut unam partem orationis compositam, nonnulla poetice proferimus.

Donatus p. 387, 13 K. CLVIII[b]

Praepositio separatim adverbiis non adplicabitur, quamvis legerimus *de repente, de sursum, de subito* et *ex inde* et *ab usque* et *de hinc*; sed haec tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiabimus.

Servius [Sergius] c. in Don. p. 440, 7 K. CLVIII[c]

Illud fideliter tenere debemus, numquam separatim praepositionem adverbiis posse coniungi, veluti *de mane, de noctu.* quod autem invenimus *indocte* et *infrequenter*, sunt quidem praepositiones, sed non separatim, sicut sunt etiam illae particulae, quas ipse ponit artigrafus *desursum, deorsum, deinceps.* ita enim constat non duas partes esse orationis[3]), ut uno ambae nitantur accentu.

---

[1]) *Italiámversus*, *Siciliámversus* Hertz.; sed tum dicendum erat *nomina inclinant sibi versus*, non *versus inclinat sibi nomina.* Unde etiam CLVII[a] cum uno codice *inclinat* pro *inclinant* reposui addito *versum.*

[2]) *dehinc* scripsi pro *abhinc*, quod repetunt et cod. et ed. Fortasse *ab* ad correctionem vocis *usque* (haec simpliciter legitur in omnibus cod.) superscriptum alieno loco illatum est.

[3]) *constant duas partes* cod., *constant duae partes* Keilius. Addito *non* et infinitivo *esse* id effeci, ut communem constantemque grammaticorum rationem etiam hoc loco restituerem.

CLVIII[d] Servius c. in Don. p. 444, 26 K.
(Detrahitur) accentus, quando dicimus *déinde*: mediam enim habere debuit acutam, quia positione longa est.

CLVIII[e] Servius ad Aen. VI, 743.
Exinde per amplum Mittimur Elysium] *Éxinde* una pars orationis est et in tertia a fine accentum habet, licet paenultima longa sit; quod ideo factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis, ne praepositio iungeretur adverbio, quod vitiosum esse non dubium est.

CLVIII[f] Pompeius p. 255, 21 K.
Praepositiones enim quando in conexionem veniunt, non sunt quasi duae partes, sed quasi membrum ipsius partis cui coniunguntur ipsae praepositiones. et unde intelligimus, quoniam una pars est orationis? hinc, quod unum accentum habet. si diceres *dé índe venit* — nemo autem hoc dicit — si diceres *éx índe venit* — nemo autem hoc dicit, sed *deínde venit, exínde venit* — si illo modo diceres, duo viderentur accentus, ut separatim diceres *dé índe*. non autem sic potes dicere, sed unam partem facis. unde apparet? quoniam unus accentus est. ergo ob hanc causam, quoniam sub uno accentu coniungitur, videtur una pars esse orationis.

CLVIII[g] Cledonius p. 69, 31 K.
Praepositio separatim adverbiis: adverbiis praepositiones putant aliqui omnino addi non oportere, cum interdum propter sonos iungi necesse sit, ut apud Terentium: *Interea mulier quaedam ab hinc triennium*, et Vergilius: *Siculo prospexit ab usque Pachyno.* sed hoc observandum secundum certos sonos, quos poetae usurparunt, praepositiones addi oportere[1]). Quamvis legerimus *de sursum*, *de subito, ex inde* et *ab usque* et *de hinc.* sed haec tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiabimus: *deinde satis fluvium inducit. deinde* et *desursum* et *desubito* non sunt duae partes orationis, sed una composita; si dividas, praepositio est, conexa adverbium facit. ideo praeiudicium non faciunt, quia uno accentu pronuntiantur, tamquam singulae partes orationis, non tamquam divisae.

CLVIII[h] Priscianus XV, 9 p. 67, 7 H.
In *ĕ* correptam vel primitiva sunt, ut *ponĕ, paenĕ,* — ex quo etiam aliud derivavit Plautus in Mustellaria: *Ita mea consilia pervortit paenissime* — *nĕ, propĕ, nempĕ, quippĕ, saepĕ, indĕ* et ex

---

[1]) *praepositiones ad* (*in* add. al. m.) *oportere* P; Keilius *praepositiones addi non oportere* scripsit eademque verba inclusit; Hagenus (t. V p. 684 K.) *observandum nisi secundum — addi non oportere.*

eo composita *déinde, súbinde, périnde, éxinde, próinde,* quae omnia antepaenultimum habent acutum vel quia per adiectionem habent *de,* ut quibusdam videtur, unde frequenter invenimus *exin* et *dein* — Virgilius in VII: *Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis* —, vel magis quia praepositiones separatae gravantur, ut coniunctae esse ostendantur, acutum in his assumpserunt accentum.

Priscianus XIIII, 20 p. 35, 14 H. CLVIII[i]
Cum apud Graecos praepositio composita cum dictionibus aliis quibusdam paenultimam habentibus acutam antepaenultimam eam facit, si addit significationi aliquid, ut πληcίος παραπλήcιος, apud nos in uno adverbio hoc solet facere *índe, déinde, éxinde, próinde, súbinde,* ne si gravetur praepositio, per appositionem esse putetur ante adverbium, quod fieri non licet.

[Priscianus] de acc. 48 p. 528, 30 K. CLVIII[k]
Notandum est namque, quod omnia adverbia composita, quae cum praepositionibus componuntur, sub uno accentu pronuntianda sunt, ut *déinde éxinde*[1]). hanc enim regulam omnis coniunctio sequitur in compositis et in simplicibus, ut *intérea, étenim;* praepositio vero in fine semper accentum servat, ut *apúd, anté.*

Augustinus reg. p. 519, 31 K. CLVIII[l]
Adverbiis omnibus praepositio separatim adici non debet, quamquam lectum sit *abhinc* apud Terentium: *Interea mulier quaedam abhinc triennium,* et apud Virgilium: *éxinde per amplum Mittimur Elysium,* ét *déhinc,* ut *déhinc ubi libera colla,* et *déinde feraces Plantae immittuntur.* quae omnia et siqua alia sunt similia, ut *próinde,* placuit contra regulam accentuum proferri, ne separatim additae praepositiones videantur adverbiis.

---

[1]) *deínde, exínde* Keilius, *déinde, éxinde* coni. Prisciano Christius Philol. t. XVIII p. 155, quem secutus sum vel maxime ob ea, quae in fine adicit grammaticus: *praepositio — ante,* quod videtur quodam modo ad hanc accinendi rationem referri.

CAPUT XI.

De accentu coniunctionum.

CLIX[a] [Sergius] explan. in Don. p. 560, 19 K.

Coniunctiones quoque sunt non minima parte acuti tenoris.

CLIX[b] Priscianus XI, 6 p. 551, 24 H.

Coniunctiones autem et praepositiones et similia ex eadem sunt materia, ex qua et nomen et verbum constat, hoc est litteris et syllabis et accentibus et intellectu. itaque etiam per se prolatae, quod partes sunt orationis ostendunt.

CLIX[c] Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 177).

Copulativae et disiunctivae prope omnes gravantur, expletivae plures fastigia retinent, causales autem et rationales quaedam cum fastigiis, aliae gravi accentu deprimuntur. quaedam in pronuntiatione deprehendes.

CLX[a] Priscianus XVI, 1 p. 93, 11 H.

(Accidit coniunctioni) figura simplex quidem, ut *at*, *et*, *sed*; composita vero, *atque*, *etenim*, *sedenim*: haec enim ex accentu composita esse noscuntur.

CLX[b] E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 184, 27 H.).

Duas etiam partes vide deinceps, ne sub uno accentu pronunties, id est *vérum támen*, quod nihil est aliud, quam *séd támen*, *ét támen*, *ét quídem*: sic *vérum támen* ut duae efferendae sunt.

CLXI[a] Priscianus XIIII, 1 p. 24, 18 H.

Quando autem ordinem mutant (praepositiones), mutant etiam accentum, nisi differentia prohibeat, quod etiam coniunctiones apud Latinos praepositivae vel communes, si postponantur, facere solent, ut *igitur*, *quoniam*, *saltem*; praepositae autem gravantur omnibus syllabis, postpositae acuuntur in principio.

CLXI[b] Priscianus partit. IIII, 86 p. 478, 22 K.

At . . quem habet accentum? gravem in versu, quomodo omnes praepositivae coniunctiones.

CLXI[c] Priscianus partit. IIII, 90 p. 479, 20 K.

Iam . . . . quem habet accentum? gravem, ut omnia fere monosyllaba praepositiva, nisi differentiae ratio prohibeat, ut *ne*, quando μή significat, gravatur, quando vero τὸ πάνυ, circumflectitur; *sic*, quando similitudinis est, circumflectitur, quando iurandi, gravatur, ut Virgilius in bucolicis: *Sìc tua Cyrneas fugiant examina taxos.*

Priscianus partit. V, 101 p. 482, 17 K. CLXI[d]
Iam . . . . . quem accentum recipit? per se acuitur, in versu autem gravatur, nisi encliticum ei adiungatur; tunc enim acuitur.

Priscianus partit. VI, 110 p. 484, 24 K. CLXI[e]
Quem accentum habet *sic*? circumflectitur, nisi sit iurandi: tunc enim gravatur, ut apud Virgilium in bucolico: *Sìc tua Cyrneas fugiant examina taxos*; et quando *ut* vel *uti* subiungitur ei, ut *sìc ut dixit*, *sìc uti iussit.*

Priscianus partit. VII, 143 p. 493, 8 K. CLXI[f]
Quoque . . . . quem accentum habet? paenultimum acutum: omnes enim fere coniunctiones postpositae generalem servant accentuum regulam.

Priscianus partit. IX, 170 p. 500, 8 K. CLXI[g]
Et quid interest inter *que* et *ac* et *atque*? quia *que* semper postpositiva est et enclitica et significat non modo *et* sed etiam τε graecam, quando repletiva est. . . . . *Atque* . . . . quem habet accentum? praepositiva omnis coniunctio et praepositio gravatur, postpositiva autem generalem accentum servat dictionum.

Palaemon apud Charisium p. 227, 30 K. = Diomedes p. 394, 1 K. = Dositheus p. 49, 13 K. CLXII[a]
Ut recipit finitiva acuto accentu elatum. effertur autem quotiens pro eo accipitur, quod est *quo modo*, ut apud Ciceronem: *út sustinuit*, *immo vero út contempsit* id est *quo modo.* quotiens vero pro eo quod est ἵνα apud Graecos, recipit optativa, velut *ut faciam.* non numquam tamen et acuto[1]) accentu elatum recipit subiunctiva, praeposito sane finitivo verbo, more quo supra formari relativa diximus, ut apud Vergilium: *Infandum regina iubes renovare dolorem, Troianas út opes et lamentabile regnum Eruerint Danai* (id est *quomodo eruerint*).

Servius ad Aen. I, 667. CLXII[b]
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora iactetur] *Ut* autem est quemadmodum, quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est.

Cledonius p. 69, 27 K. CLXII[c]
Ut pone: *ut*, id est *quemadmodum*, circumflexum habet accentum, *ut* coniunctio acutum.

---

[1]) *et* ante *acuto*, quo aegre careas, ex Diomede et Dositheo etiam Charisio restituendum esse puto. Ceterum Dositheus omisit exemplum e Cicerone petitum; verba quae in fine uncis inclusi solus habet Diomedes.

CLXII[d] Priscianus partit. XII, 215 p. 512, 16 K.

Ut . . . . quem habet accentum? *ut* et *uti* et *utinam* praepositiva gravantur per omnes syllabas, subiunctiva autem generalem accentum servant.

Palaemon apud Charisium p. 228, 8 K. = Dio-
CLXIII[a] medes p. 394, 12 K.

Item *ne* acuto accentu imperativa, velut *né fac*. quotiens vero gravi accentu pro eo quod est apud Graecos ἵνα μή accipitur, optativa recipit, ut apud Horatium: *nè facias quod Umidius quidam*. non numquam vero[1]) etiamsi acuto accentu efferatur, optativa quoque recipit, velut *né facias, né scribas*. sed interest inter hoc et illud quod diximus *nè fac*, quod hoc imperamus, superius suademus. recipit quoque id ipsum acuto accentu elatum finitiva, quotiens εἰρωνικῶς accipimus pro eo quod est apud Graecos ναί adfirmativo[2]), quod est apud Ciceronem: *nê illi vehementer errant*. quotiens vero rei dubiae et quasi condicionali aptatur, recipit et subiunctiva eodem accentu elatum, ut apud Ciceronem: *né tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses*, hoc est, *si esses natus, esses ridiculus*.

CLXIII[b] Dositheus p. 49, 20 K.

Ne accentu acuto imperativa — superius suademus (= CLXIII[a]). recipit quoque id ipsum accentu acuto elatum subiunctiva, quotiens εἰρωνικῶς accipimus pro eo quod est apud Graecos πάνυ γε, scilicet quotiens rei dubiae et quasi condicionali aptatur, ut apud Ciceronem: *né tu, Eruci, accusator esses ridiculus*, et Salustius: *né illi corruptis moribus victoriae temperarent*. quotiens vero rei aptatur certae, eodem accentu elatum finitiva recipit, ut apud Ciceronem: *né illi vehementer errant*: affirmat enim eos vehementer errare.

CLXIII[c] Probus inst. a. p. 145, 16 K.

Ne si subiungatur, erit coniunctio, ut apud Vergilium: *mene incepto desistere victam?* si vero *ne* praeponatur, erit adverbium,

---

[1]) *vero* Diom., Dosith.; *autem* Char.

[2]) *Graecos istius adfirmatio* Neap., Par. *Graecos ne rei factae adfirmatione* Diom., unde Keilius utroque loco ναί, *rei factae adfirmatio* scripsit. sed simplicius Charisio *adfirmativo* restitui, Diomedem vero scripsisse puto *in rei factae adfirmatione*; iterum aliter Dositheus.

ut apud Vergilium: *ne credite, Teucri, Quidquid id est.* item *ne* si gravem accentum habeat, erit coniunctio, ut puta: *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri*; si vero *ne* acutum accentum habeat, erit adverbium, ut puta: *né credite Teucri Quidquid id est.*

Donatus ad Ter. Andr. prol. 17. CLXIII[d]
Faciunt ne intellegendo ut nil intellegant?] *ne* quidam corripiunt et cum interrogatione pronuntiant, quidam producunt; quorum alii *ne* pro *non* accipiunt [id est *non*] alii [*ne*] pro *valde* [*nimis multum*, *plurimum*], ut: *ne ego homo sum infelix*, et Cicero: *ne illi* [*vehementer errant*]; et hoc melius, nam statim infert: *Qui cum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium Accusant.*

Porphyrio ad Hor. od. IV, 9, 1 (p. 134, 21 M.). CLXIII[e]
Ne forte credas] prima autem syllaba ᾠδῆς huius circumflexe enuntianda est, ut sit *ne credas* id est *ne credideris.*

Cledonius p. 69, 30 K. CLXIII[f]
Nê circumflexum adverbium est; *né* acuto quando dicimus, coniunctio est.

Cledonius p. 14, 28 K. CLXIV
Ve iuncta coniunctio est, separata interiectio est, vel separata adverbium est, iuncta coniunctio est et gravem accentum in coniunctione habet, in adverbio acutum[1]).

CAPUT XII.

De interiectionum barbarorumque nominum accentu.

Diomedes p. 433, 31 K. CLXV[a]
Accentus in integris dictionibus observantur, in peregrinis autem verbis et in barbaris nominibus, maxime in interiectionibus nulli certi sunt. in his enim maxime accentuum lex certa esse non potest, cum sit absurdum a turbato tenoris exigere rationem.

Donatus p. 371, 24 K. CLXV[b]
Accentus in integris dictionibus observantur, in interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli certi sunt.

Donatus p. 392, 2 K. = Dositheus p. 53, 5 K. CLXV[c]
Accentus in interiectionibus certi esse non possunt, ut fere in aliis vocibus, quas inconditas invenimus.

---

1) V. XCI—XCIV.

CLXV[d] Sergius de acc. [in Don.] p. 483, 29 K.
Scire autem debemus, quod nullum barbarum nomen vel verbum aliquod peregrinum nec interiectio certum poterunt accentum tenere. nam in barbaricis nominibus nulla sui ratione sunt, sed quali volumus, sane non aspero, proferamus accentu.

CLXV[e] Cledonius p. 33, 17 K.
Accentus in romanis verbis et in regularibus quaerere debemus; peregrina nomina, quae[1]) sunt barbara, vel interiectiones, quae ex affectu animi nascuntur, accentus habere non possunt, ut *heus*, *heu*. Nulli certi sunt: accentus legem dicit pronuntiatione corruptam, quia disyllaba verba vel nomina, quae constat in prima syllaba habere accentum, in pronuntiatione tenores[2]) ad ultimam transferunt, quae quidem non videtur esse ultima, quia hac coniunctione impletur periodos.

CLXV[f] Cledonius p. 67, 1 K.
Heus si raptim proferimus, adverbium est, si cum dolore[3]) interiectio; sic et *heu*.

CLXV[g] Cledonius p. 79, 15 K.
Accentus interiectionibus: in his interiectionibus non possunt certi accentus reperiri, quae inconditis vocibus constant, ut *heu*, *va*. certi sunt accentus in istis, quae possunt distingui, ut *papaê, attát.*

CLXV[h] Priscianus XV, 42 p. 91, 20 H.
Optime tamen de accentibus earum docuit Donatus, quod non sunt certi, quippe cum et abscondita voce, id est non plane expressa, proferantur et pro affectus commoti qualitate confunduntur in eis accentus.

CLXV[i] [Priscianus] de acc. 7 p. 520, 23 K.
Sed in interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli certi sunt accentus ideoque in potestate uniuscuiusque consistit, ut quomodo necessarium viderit, sic in metro ponat.

CLXV[k] Artigr. Bern. (An. Helv. p. CCXVIII, 26 adn. H.).
In interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nomi-

---

1) *et quae* voluit Hagenus t. V p. 683. Sed etsi bona aetate semper accurate distinguitur inter barbara et peregrina, in quibus etiam graeca comprehendebant (cf. Quintilianus inst. or. I, 5, 55 sqq.), iam adeo nonnullis illa evanuerat distinctio, ut opponerent inter se graeca et peregrina, ut suo iure dicat Cledonius *peregrina, quae sunt barbara.*

2) *accentum si tenores, in pronuntiatione accentus* cod., *si tenores* delevit Keil., *accentus sive tenores* Hagen.

3) *si tractim et cum dolore* Hagen.; sed sufficit *cum dolore.*

nibus certi sunt accentus, an non? Non. Quid ibi faciendum est? In potestate uniuscuiusque consistit. Quomodo? Ut cum necessaria fuerint, ita in metrica ponantur ratione.

[Priscianus] de acc. 48 p. 528, 34 K. CLXV[l]
Interiectio vero nullam certam regulam servat; nam et[1]) in fine et in medio acuetur, ut *papae*, *euax*.

Audacius (Audax) apud Bedam de metr. p. 2363 P. CLXV[m]
Item interiectiones omnes, ut Audacius ait, quas de graeco sermone mutuati sumus, ideo in novissimis syllabis fastigium capiunt, ut *papaê*, *attát*; eodem modo et ceterae similiter vel acutum vel circumflexum in ultimo sumunt accentum.

Alcuinus p. 2142 P. CLXV[n]
Franco: Quid de accentibus earum dicis? Saxo: Quid aliud, nisi quod incerti et pro affectus qualitate longius vel brevius, acutius vel gravius incondita voce proferuntur?

Cf. Iulianus Toletanus (An. Helv. p. CCXVIII, 26 H.).

Papias de a. gr. (An. Helv. p. CLXXXII, 20 H.). CLXV[o]
Proprium est interiectionis motum animi vel affectum verbi sine certo accentu significare, ut *papae*, etsi non addatur, significat *miror*.

Comm. Einsidl. in Don. (An. Helv. p. 266, 9 H.). CLXV[p]
Nullus accentus certus est in interiectione. Ut fere in aliis vocibus i. in aliis partibus, quia quaeque gens suas habet interiectiones, quae in aliam linguam transferri non possunt. unde *racha* interiectio Hebraea ab evangelista in alia lingua exprimi non potuit. nihil autem differt, utrum *papaé* accentu in fine posito dicatur, an in paenultima *pápae*. similiter in ceteris.

Remigius in cod. Bern. 386 (An. Helv. p. CXI H.). CLXV[q]
Accentus in interiectione — inconditas invenimus. In aliis vocibus i. in aliis partibus sive dictionibus s. barbaris et peregrinis, quae incondite dicuntur i. incomposite, quia illorum regulas vel accentus ignoramus. *fere* autem dicit, quia quorum notitiam habemus, ut *Cristus* scimus quem accentum habeant; vel aliter: nullus accentus certus est in interiectione — similiter in ceteris (= CLXV[p]).

Comm. Einsidl. in Don. (An. Helv. p. 218, 18 H.). CLXV[r]
In interiectionibus, ut ait Donatus, nulli certi sunt accentus; aut enim dicas *eúax* acuto paenultimo vel *euáx* ultimo acuto, idem est. sic et *heu* et *euge* et *papae*. *heu* autem interdum monosyllabum est aut disyllabum, sicut metri necessitas coegerit.

Priscianus XIIII, 46 p. 49, 23 H. CLXVI[a]
Pro . . . nec non etiam interiectionis loco ponitur et circum-

---

[1]) *nam et* scripsi pro *tamen*.

flectitur, ut Sallustius in Catilinario: *prô deum atque hominum fidem.*

CLXVI[b] Beda de orth. p. 2342 P. = Alcuinus p. 2140 P. *Pro* . . . et pro interiectione accipitur, ut *prô dolor*, et circumflectitur.

CLXVII Sisenna apud Rufinum de m. com. p. 284 Gaisf. Sisenna in commentario Poenuli Plautinae fabulae sic: *Alonim*[1]) Poeni dicunt deum, et producenda syllaba metri gratia; exigit iambus.

CLXVIII[a] M. Valerius Probus apud Gellium N. A. IIII, 7. Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. is *Hannibâlem* et *Hasdrubâlem* et *Hamilcârem* ita pronuntiabat, ut paenultimam circumflecteret, teste epistola eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat, solius tamen Ennii versum unum ponit ex libro qui Scipio inscribitur. eum versum quadrato numero factum subiecimus, in quo, nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe promatur, numerus clausurus est. versus Ennii quem dixit ita est: *Qua*[*que*] *propter Hannibâlis copias considerat.*

CLXVIII[b] Probus inst. a. p. 127, 3 K. Quaeritur, qua de causa *Hannibâlis a* littera, quam habet ante ultimam syllabam, producto accentu pronuntietur? hac de causa, quoniam quaecumque nomina generis masculini nominativo casu numeri singularis *al* litteris definiuntur, haec eandem *a* litteram, quam habent ante *l* ultimum constitutam, secundum rationem sonorum necesse est ut per omnes casus producant.

CLXVIII[c] Probus inst. a. p. 128, 35 K. Quaeritur, qua de causa *Bomílcaris* correpte et non producte pronuntietur? hac de causa, quoniam quaecumque nomina

[1]) *Alonim* pro *Halonium* restituit Ritschelius Parerg. p. 378 (cf. Opusc. t. II p. 729); idem *producendam syllabam — exigit iambus* proposuit, nisi plura turbata essent. Sed ut molestum evitarem pleonasmum (*metri gratia — iambus*) mutavi potius interpunctionem. Ceterum non nego mihi et ob iambi commemorationem, et quia, ubi simpliciter de producenda seu corripienda syllaba agitur, semper fere ad mediam spectat, Sisennae scholion videri favere ei quem Ewaldus voluit accentui: *Alónim.*

nominativo casu numeri singularis *ar* litteris definiuntur, haec eandem *a* litteram, quam habent ante *r* ultimum, per omnes casus corripiunt, ut puta *Caésar Caésaris*; sic utique et *Bomílcar Bomílcaris* correpto non producto accentu debeat pronuntiari.

[Priscianus] de acc. 20 p. 523, 8 K. CLXVIII[d]

Barbara autem propria breviantur, ut *Hánnibal Hanníbalis, Hásdrubal Hasdrúbalis,* quae omnia in obliquis casibus *a* productam in neutro, in masculino brevem habent.

Servius ad Aen. VIII, 647. CLXIX

Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat] [Sane] *Porsénna*; unum *n* addit metri causa, unde et paenultimae datus accentus est. nam *Pórsena* dictus est; Martialis: *Hanc spectare manum Porsena non potuit.*

Ausonius epist. XIX ad Pontium Paulinum. CLXX

Europamque Asiamque duo vel maxima terrae
Membra. quibus Libyam dubie Sallustius addit
Europae adiunctam, possit cum tertia dici:
Regnatas multis, quos fama obliterat et quos
Barbara romanae non tradunt nomina linguae,
Illibanum Numidamque Avelim Parthumque Vononem
Et Caranum, Pellaea dedit qui nomina regum
Quique magos docuit mysteria vana Nechepsus
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

Haec tu quam perite et concinne, quam modulate et dulciter, ita iuxta naturam romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris ac primigenis vocibus sua fastigia non perirent.

CAPUT XIII.

De nominum graecorum accentu.

[Sergius] de acc. p. 526, 4 K. CLXXI

Quod ad latinos accentus attinet, sive stativos seu commutabiles, satis dictum. nunc ut divisionem tripertivimus, superest ostendere, quem usum prosodiae circa graeca nomina habere debeamus, in qua re cum plurimum erretur, via est tamen amovendi erroris brevissima, nisi forte quis eo demersus

imperitiae est, ut in graeca nostraque lingua toni simul et clinatus discrimen ignoret. nam cum primis id convenit dispicere, latinum merum sit nomen, an merum graecum, an etiam inter utramque[1]) commune, quorum de singulis suo ordine explicabimus.

Mera latina appellanda sunt, quibus nec origo nec declinatio a Graecia est nec ullum adeo cum peregrinis commercium, ut *Cáto, áquila,* quae quo accentu efferenda sint, superiora declarant, cavendumque hoc unum, ne quem graecorum nominum similitudo a praescriptis regulis deducat, ut siquis dicat *cuspídis* acuens quamvis brevem paenultimam, eo in fraudem inductus, quod quorundam simile est graecorum, ut *Phyllídos, Aulídos,* quae in paenultima brevi acuuntur, cum potius *cúspidis*, quasi *cássidis*, *Tígridis*, *I'sidis*, *Thétidis*, *Thýmbridis*, *Dáphnidis* prima acuta proferendum sit, quia brevis est paenultima [graeca][2]). graeca autem mera sunt, quae et e graeco fonte manant et ita per casus numerosque clinantur [hoc est declinantur], ut numquam ab origine sua nec litterae quidem unius commutatione decedant. haec in carminibus poetarum passim reperiuntur, ut in his Vergilii: *quorum alter Acarnan*, et: *Fatidicae Mantus*, et: *Orphi Calliopea*, et: *Pallas quas condidit arces*, et: *Luctificam Allecto*[3]), quae omnia ut a graeca declinatione mutata non sunt, ita a graeco tono corrumpi non debent. quare *Acarnân*, *Mantûs*, *Orphî* flexa ultima legenda sunt, *Pallás* autem et *Allectó* eadem ultima acuta, quorum neutrum in latinis fieri solet nominibus. item cum legimus: *nec longe Cissea durum*, et: *liquidumque per aera lapsae*, et: *Epytiden vocat, Cisséa, aéra,*

---

[1]) *utramque* O; *utr*$\overset{a}{u}$*mque* L. *utrumque* Endl., Keil. (qui in adn. *inter utramque linguam* proposuit). Sed refertur *utramque* ad *in graeca nostraque lingua*: *inter utrumque* autem prorsus falsum est; nam quid hoc est: commune inter merum latinum et merum graecum?

[2]) *graeca*, quod per dittographiam repetitum est, recte delevit Langenus (in sententiis controversis dissertationi adiectis), intactum reliquerunt Endlicherus Keiliusque.

[3]) In cod. non nisi nominis *Acarnân* et *Mantûs* exempla Vergiliana exstant, sed non dubitavi ceterorum quoque nominum exempla, a Keilio in adn. proposita, in ipsum verborum contextum recipere.

Epytíden, quamvis contra regulam latinam, tamen quia graeca sunt, paenultima acuta pronuntiare debemus. sic et in his: *Creber utraque manu pulsat versatque Dareta, Dodonaeosque lebetas, Darêta* et *lebêtas* per se legere debemus, sed par est, quamvis utrobique natura longa sit paenultima, quia graeca sunt germana, a latinorum accentuum lege seiungantur[1]). communia vero sunt quae ab alterutro orta sermone in alterius declinationem concedunt idque fit modis duobus; nam aut latina declinantur in graeca, ut *Scipiades, Memmiades,* aut graeca de stirpe sua degenerant et latine declinantur, ut *Aeris in campis latis,* et *Euandrum petimus.* latina quae graecae declinationis colorem duxerunt, graecum quoque retinent accentum; quare ut *Miltiádes, Asclepiádes,* ita *Luciádes* et *Memmiádes, Scipiádes* acuta quamvis brevi paenultima proferuntur. at quae radicem ducunt a Graecia et iugo latinarum declinationum succedunt, bifariam deducta ambiguas tonorum vias secuntur; atque ideo *aetheris* et *aëris,* quia origine graeca sunt, graecae quoque prosodiae formam apte recipiunt, ut *aë́ris, aethéris* sic dicantur latine [paenultima][2]), quasi graece ἀέρος, αἰθέρος; quia autem declinatione facta sunt latina, impune ritu nostro in prima syllaba acuuntur, quia brevis est paenultima, ut sit *áëris, aétheris,* quasi *ánseris, ásseris.* similiter *Simoentis, Thermodontis* proparoxytona sunt, si ad Graecos respicias, qui sic faciunt Σιμόεντος Θερμώδοντος; paroxytona autem, si ad nostram redigas regulam, quomodo dicimus *sapiéntis, audéntis,* sic *Simoéntis, Thermodóntis.* eadem ratione *Euándrum tyránnum,* quasi *amándum Británnum* paenultima acuta, quia positione longa est, pro-

---

[1]) *pars elegere debemus par est quamvis — paenultima, sed quia graeca sunt germania latinorum accentum lege se* (*legere O*) *iurant* OL, προπαροξυτόνως *legere* Endl.; *per se legere* Keil.; sed non debuit idem *Dáreta lébetas* accentibus efferre, cum *per se* non nisi ad latinam regulam pertinere possit; in sequentibus *debemus* Endl., *par est* Keil. delerunt; *leges eiurant* Endl., *lege se liberant* Keil. Qualem constitui locum spero fore, ut et a facilitate mutationum et a sententiae commoditate satisfaciat.

[2]) *paenultima* delevi; Keilius *paenultima acuta* scripsit. — An: *sic acuantur l. p.*?

ferimus, latinum secuti praeceptum; et rursus in isdem nominibus tertiam ab ultima acuere absurdum non est et ita enuntiare *Eúandrum, týrannum* ut Graeci Εὔανδρον τύραννον dicunt. nomina utroque licet[1]) tenore proferre [iudicio opus est, quo id potius dicatur, quod minime respuant aures], dummodo auribus eo serviamus. in quibusdam enim nominibus licet videre plerosque recti casus ambiguo tenore deceptos mendose oblicos proferre, ut qui in patrico casu *Eúandri* et *týranni* primam syllabam acuunt potius, quam mediam, nullam secuti rationem: nam neque a Graecis ea nomina, cum casu isto sunt, aliter quam paenultima acuta proferuntur Εὐάνδρου τυράννου dicentibus, nec rursum a nobis, quia paenultima positione longa semper acuenda nobis est. [tertia ab ultima a nonnullis acuitur, cum[2]) paenultimam acui tam latina iubet ratio, quia longa est, quam graeca, quia παροξυτόνως dicunt.] idem in dativo ablativoque casu servandum est, ut cum apud Vergilium legimus: *Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho*, et: *Quod fieri ferro liquidoque potest electro*, item: *Centauro invehitur magna*, et: *Sergesto Mnesthique*, et: *classemque sub ipso Antandro*. haec omnia nomina *Aracýntho, eléctro, Centaúro, Sergésto, Antándro* paenultima acuta proferuntur, quamvis recto et accusativo casu possunt acutam tertiam ab ultima habere. sed et[3]) in recto atque accusativo casu solet quidam error plerosque obtinere, qui in his versibus: *Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora*, et: *huc casta Sibylla* inperite proparoxytona faciunt *Cássandra* et *Síbylla*, cum id sinant neque latina praecepta, quia est paenultima positione longa, neque adeo graeca, cum sint paroxytona Κασσάνδρα et Σιβύλλα; nam[4]) longa [est] ultima in graeco tertiam a se acutam esse non patitur.

---

[1]) *aut graeci euandra non dinomina utrolibet* cod., *ut Graeci* Εὔανδρον. *non dico nomina utrolibet* Endl. Keilius pro *non di* vidit τύραννον *dicunt* scribendum esse; deinde lacunam indicavit sic fere explendam: *haec enim omnia utrolibet.* Simplicius visum est *utroque licet* corrigere. *iudicio — aures* delevit Keilius.

[2]) *nam* cod., ed., quod, etsi recte delendum duxerunt totum enuntiatum editores, tamen corrigendum esse putavi.

[3]) *et* addidi.

[4]) *ton* cod., *quoniam* Endl. (qui deinde *quae* addidit ante *tertiam*), *quoniam ubi* Keil.

Quintilianus inst. or. I, 5, 60 sqq. CLXXII
Quin etiam laudet (sc. grammaticus veterum amator) virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam latinam studebant nec alienis egere institutis fatebantur: inde *Castôrem* media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas *Castor* litteras exit, et ut *Palaemo* ac *Telamo* et *Plato* (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur retinuerunt, quia latinum, quod *o* et *n* litteris finiretur, non reperiebant.... inde *Olympo* et *tyranno* acutam syllabam mediam dederunt, quia [duabus longis sequentibus][1]) primam brevem acui noster sermo non patitur. mihi autem placet rationem latinam sequi quousque patitur decor. neque enim iam *Calypsonem* dixerim ut *Iunonem*, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi; sed auctoritatem consuetudo superavit. in ceteris quae poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui graecam figuram sequi malet, non latine quidem, sed tamen citra reprehensionem loquetur.

Quintilianus inst. or. I, 5, 24. CLXXIII
Sed id (sc. ut duae syllabae in unam cogantur et deinde flectantur) saepius in graecis nominibus accidit, ut *Atreûs*[2]), quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset, item *Nerei Tereique.*

Diomedes p. 433, 4 K. CLXXIV[a]
Sane graeca verba graecis accentibus efferimus, si isdem litteris pronuntiaverimus.

Donatus p. 371, 21 K. CLXXIV[b]
Sane graeca verba graecis accentibus melius[3]) efferimus.

---

[1]) *duabus longis sequentibus*, quod iam G. Hermannus (apud Meyerum) et Halmius in suspitionem vocaverant, rectissime Keilius (apud Halmium II p. 367) adscriptum esse iudicavit a quodam, qui putaret hic agi de forma *Olympo* non *Olympus* (Ὄλυμπος).

[2]) *Atrei* quod contra librorum ms. auctoritatem scripsit Halmius ex Osanni coni. (adnot. ad lib. X, Part. 6, 15) falsum esse ostendit *quem*, quod necessario ad nominativum refertur. Cf. XCVIII[a] adn.

[3]) *melius*, a Keilio omissum, e cod. Leid. recepi et ob comm. Einsidl. quod subsequitur et ob ipsius Donati verba p. 379, 15 K.: *meminerimus autem graeca nomina ad graecam formam melius declinari, etsi illa non nulli ad latinos casus conantur inflectere.*

CLXXIV[c] Comm. Einsidl. ad Don. (An. Helv. p. 229, 9 H.).
Graeca verba s. quae ita sunt nobiscum, sicut apud Graecos, sine aliqua mutatione ut *Themistô, Calypsô.* Melius, honestius, pulchrius. Efferimus, pronuntiamus.

CLXXIV[d] Sergius de acc. [in Don.] p. 483, 33 K.
Graeca autem suis accentibus pronuntianda esse noscamus.

CLXXIV[e] Dositheus p. 9, 17 K. = Victorinus de a. gr. p. 193, 14 K.

Graeca nomina si isdem litteris proferentur, graecos accentus habebunt; nam et cum dicimus *Thyiás, Naís,* acutum habebit posterior accentum, et cum *Themistô, Calypsô,* ultimam circumflecti videmus; quod utrumque latinus sermo non patitur, nisi admodum raro.

Τὰ ἑλληνικὰ ὀνόματα ἐὰν τοῖς αὐτοῖς γράμμαϲιν προφέρηται, ἑλληνικὰς προϲῳδίας ἕξουϲιν. καὶ γὰρ ὅταν λέγωμεν Θυιάς, Ναίς, τὴν ὀξεῖαν ἕξει ἡ ὑϲτέρα προϲῳδίαν, καὶ ὥς Θεμιϲτῶ, Καλυψῶ, τὴν τελευταίαν περιϲπᾶϲθαι ὁρῶμεν, ὅπερ ἑκάτερον ὁ ῥωμαικὸς λόγος οὐκ ἐπιδέχεται, εἰ μὴ πάνυ ἀραιῶς.

CLXXIV[f] Interr. et resp. (Mus. Rhen. t. XVIII p. 175. 176 cf. p. 173).
In disyllabis id notandum, quod in latina lingua numquam posterior levatur. hoc enim Graeci occupaverunt, ut *aér aethér* [diptota][1]) et his similia. . . . . circumflexus in penultima tantum locatur vel in novissima, si nomen est graecum, ut *Allectô, Theanô* et similia, quae quia graeca sunt, graeca ratione nituntur.

CLXXIV[g] E cod. Bob. (nunc Vindob. XVI) p. 142 Endl.
Sed ne opponi nobis a nimium diligentibus illa possint, quae acuta syllaba in novissimo efferuntur, ut *Cyclás, Dryás*[2]), *Thyiás,* illud est respondendum: omnia verba peregrina secundum suam positionem, quomodo lecta sunt, ita enuntiari debere; nam cum in nostram consuetudinem transeunt[3]), rationi nostrae quoque *.

CLXXIV[h] [Sergius] de acc. p. 525, 8 K.
Graeca nomina si isdem litteris proferuntur, graecos accentus

---

[1]) *diptota* quomodo hic irrepserit et quid sibi velit, non intellego. Nam nihil est, quod L. Muellerus dicit: '*es scheint zu heissen auf der zweiten Silbe den Ton habend, obwohl sich nicht absehen lässt, wie es zu dieser Bedeutung kommt*'.

[2]) *drias* cod., corr. Endl.

[3]) *transeant* cod., Endl., qui post *quoque* adicit: *inserviant necesse est.*

habebunt. nam et cum dicimus *Thyás, Naís*, acutum habebit posterior accentum, et cum *Themistô, Callistô*, ultima circumflectitur, quod utrumque latinus sermo non patitur, nisi raro.

Servius c. in Don. p. 427, 10 K. CLXXIV[i]

Graeca verba tunc graecis accentibus proferimus, cum graeca fuerit declinatio. *hos Arcades*, quoniam latina declinatio est, prior syllaba habebit accentum, id est tertia a fine; quando autem dicimus *hos Arcadas*, media, quoniam declinatio graeca est.

Cledonius p. 33, 24 K. CLXXIV[k]

Meminerimus ut graeca verba graecis accentibus pronuntiemus quae verba in ultimis syllabis accentus habent, quae Latini habere non possunt, ut *Didô, Naís* [in his ultimae habent circumflexum accentum].

Martianus Cap. III p. 68, 1 Eyss. CLXXIV[l]

Graeca nomina cum in latinum vertuntur, nostra regula pronuntiantur, nisi maneant graeca. *Olympus* igitur et *Caucasus* si sic, ut latina, proferuntur[1]), quam acuere vel flectere debeant syllabam, secundum rationem supra scriptam apparet. sed si manent graeca et huic regulae in peregrinis vocibus accedimus, necesse est tamen in obliquis casibus acutos sonos in mediis syllabis servent, quoniam apud Graecos quoque non alio accentu haec enuntiari audimus.

Servius ad Aen. V, 613. CLXXV

At procul in sola secretae Troades acta] *Acta* mutata η in α superiori accentum damus, ut Ἑλένη, *Hélena*, Κίρκη, *Círca*[2]); ergo quoniam et ἀκτή graecum est, cum *acta* facit, paenultima habere debet accentum: sed propter differentiam commutatur, ne non secreta et amoena litorum, sed participialiter *ácta* significet.

Servius ad Ecl. X, 1. CLXXVI[a]

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem] Sane *Arethusa* secundum latinitatem in paenultima habet accentum; secundum rationem graecam in tertia a fine [Ἀρέθουσα], sicut et Creûsa [et Κρέουσα].

---

1) *si sic* scripsi; nam *sic ut latina* quod e cod. R receperunt Koppius et Eyssenhardtus, recte negavit Iuergensenus intellegi posse; sed quod cum cod. B *si ut Latina* proposuit ille, propterea non sufficit, quod *Olympus* et *Caucasus* revera ut latina proferuntur, ut hoc non liceat per condicionem addi. In proximis *syllabam* ante *secundum* inserui, quam vocem etiam Iuergensenus (post *quam*) adiciendam censuit.

2) Κίρκη *Circa* aut delendum aut mutandum erit.

CLXXVI[b] Servius ad Aen. II, 778.

Comitem asportare Creusam] Quia latina declinatio est, erit latinus accentus.

CLXXVII Servius in Buc. (t. II p. 97 L.).

Notandum quoque *Bucolica* vel *Georgica* cum apud Graecos in fine habeant accentum, apud nos in tertia a fine habere: nam ut in ultima sit, latinitas vetat, ut in paenultima non sit, brevitatis efficit ratio.

CLXXVIII[a] Priscianus VII, 5 p. 286, 24 H.

Oportet tamen scire, quod in femininis *a* terminantibus graecis, etiam si producta sit apud illos *a* finalis, plerumque corripiunt eam Latini: omnis enim nominativus latinus *a* terminalem corripit. est tamen quando servant eam productam, sed raro. ergo quando corripiunt eam secundum romanam consuetudinem, accentu quoque latino pronuntiatur, ut in his *Itália*, *Phrýgia*, *Lýdia*, *Sýria*, *Tróia*: haec enim antepaenultimum habent acutum[1]), quia *a* finalem corripiunt, quamvis apud Graecos sit producta. Horatius in I carminum: *Lydia dic per omnes* vocativum, qui similis est in hac terminatione nominativo, corripit: est enim choriambus et bacchius, ex quo ostenditur correpta in nominativo quoque *Lydia* finalis *a*. Virgilius in V: *Tróia Criniso conceptum flumine mater Quem genuit.* apud Statium vero *Neméā* quia servavit *a* productam, accentum quoque graecum servavit, id est paenultimum acutum[1]), in V Thebaidos: *Nec facilis Neméa latas evolvere vires.* accusativum quoque graecum in femininis invenimus a poetis proferri, sed raro. idem Statius in VII: *Namque ferunt raptam patriis Aeginan ab undis.*

CLXXVIII[b] Priscianus partit. III, 75 p. 476, 12 K.

Asia . . . cur, cum litterarum nulla mutatio facta sit, accentus mutatur? Quia *a* finalis apud Graecos producitur, apud nos correpta est, accentus quoque apud nos mutatio facta est. hoc tamen scire debemus, quod sive temporis sive litterarum fiat in nominativo commutatio, melius facimus, si accentum ad latinitatem proferimus, exceptis patronymicis, quae per omnes casus magis graecorum sibi defendunt accen-

---

[1]) Cf. CXXXVII[h].

tum, quia servant graecum nominativum, ut *Priamídes Priamídae.* licet tamen etiam in illis accentum servare latinum, quae cum sint graeca, non tamen aliena videntur formulis terminationum, ut *Creûsa, Arethûsa*, quae cum latine proferuntur, licet ea in nominativo etiam circumflecti in paenultima syllaba. non est tamen absurdum, si graecum accentum servabimus in nominativo dumtaxat.

E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 173, 30 H.). CLXXVIII[c]

Illa nomina, quae sunt fortia vel principalia, corripiuntur in paenultima, ut *allegória, irónia, história.* similiter et illa, quae licet sint composita, non sunt tamen a masculinis venientia et insuper unam syllabam in duas breves dividentia, ut *melódia, psalmódia, prosódia*, quae composita esse patet ab *oda.* Porro illa nomina, quae sunt a masculinis venientia, ut *sophus sophi sophía*, ut illud *Sophía nota tuae menti et mens tota sophíae*; *philosophus philosophi philosophía, acyrología, macrología, perissología, tautología, theología, analogía, artigraphía, orthographía* et cetera his similia producuntur in paenultima: quia enim derivatur ab *urano Uranía*, producitur paenultima: ut est illud: *Uranía poli motus scrutatur et astra.* sequitur: *Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu*: quia igitur *Polymnia* non venit a *polymno,* sicut *Uranía* ab *urano*, corripitur illa, producitur ista.

Servius ad Aen. II, 779. CLXXIX[a]

Superi regnator Olympi] cur in paenultima accentus sit, manifesta est ratio apud Latinos, quamquam Graeci discretionem velint per accentum facere montis et caeli, quod superfluum est.

Servius ad Aen. IV, 268. CLXXIX[b]

Claro demittit Olympo] accentus sane graecus tunc potest esse, si sit graeca declinatio, ut Ὄλυμπος Ὀλύμπου: nam latine *Olympi* [facit].

Servius ad Georg. I, 59. CLXXIX[c]

Eliadum palmas Epiros equarum] Sane *Epiros* graece profertur, unde etiam *E* habet accentum; nam si latinum esset *Epirus,* [*Epiri,*] *pi* haberet [accentum], quia longa est.

Servius ad Aen. V, 665. CLXXIX[d]

Incensas perfert navis Eumelus et ipsi] *Eumêlus* latinus accentus est translato nomine in latinum. [Nam graece dicitur Εὔμηλος et *diligens* interpretatur.]

CLXXIX[e] Servius ad Aen. XI, 666.
Euneum Clytio primum patre] *Eunêum*, quia latina est declinatio, ideo *ne* accipit accentum: nam Statius, quia graece declinavit, graecum accentum posuit dicens [*nunc*] *Euneos ante Et nunc ante Thoas* et *Euneon audit*[1]).

CLXXIX[f] Servius ad Aen. VIII, 190.
194: *Semihominis Caci facies*] *Cacus* secundum fabulam Vulcani filius fuit . . . veritas tamen secundum philologos et historicos hoc habet, hunc fuisse Euandri nequissimum servum ac furem; novimus autem malum a Graecis κακόν dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant; postea translato accentu *Cácus* dictus est, ut *Heléne Hélena.*

CLXXIX[g] Servius ad Aen. X, 542.
Lecta refert humeris tibi, rex Gradive, tropaeum] *tropaeum* declinatio latina est, unde paenultima habebit accentum; in numero vero plurali, quia *tropaea* dicimus, sicut Graeci, nec aliquid inde mutamus[2]), erit in antepaenultima accentus, sicut apud Graecos [scilicet tertia syllaba a fine].

CLXXIX[h] E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 176, 35 H.).
Sáffīrus, *Sárdīus, Bácchīus, Epīrus, bútȳrum. rómphēa*, *anáthēma*, *Amaléchīta* naturaliter habent paenultimam longam, sed antepaenultima habet accentum, sicut illud Maronis exponens Servius *India mittit ebur*, *molles sua tura Sabaei Castorea Eliadum palmas Epirus equarum* ait: *Epirus pi longa est, sed e habet accentum.* similiter *ábyssus*, *báptisma,* quorum paenultima positione cognoscitur esse longa; sed acuitur antepaenultima, quia propter *h* vel *y* aufertur accentus de paenultima.

CLXXIX[i] E cod. Bern. 83 (An. Helv. p. 182, 18 H.).
Sicut ab *h* et *y* litteris, ita nihilominus et a *chi* et a *gi* syllabis aufertur accentus in omnibus graecis, ut *Helénus*, *Heléna*, *anáthema, rómphea*, *bútyrum, sápphirus*, *Amaléchita, Areopágita,* unde et illa nomina latina, quae sunt a graecis nominibus dirivata, corripiuntur in paenultima suntque penes nos naturaliter correpta *fáginus, oleáginus*, cum producantur e contrario dirivationis eiusdem cetera possessiva, ut *cedrînus, cypressînus.*

---

[1]) In Servii libris sine dubio duo Statii loci confusi sunt, VI v. 433 et 464, quos restitui.

[2]) *mutamus* scripsi pro *mutuamus,* quod sententiam pessumdat: nam si nihil e graeco *mutuari* duxisset grammaticus, latinum posuisset accentum.

Probus cath. p. 18, 5 K. CLXXX[a]
as pura terminata . . . . feminini generis si erunt et ipsa tertiae sunt declinationis, sed *dis* terminabunt genetivum, ut Τρωάς Τρωάδος *Troás Troádis*[1]) et omnia talia, quae contra rationem latinitatis secundum Graecos ultima syllaba acuuntur, ut *Thaumantiás Thaumantiádis*: nam si non acuerimus, erit nomen generis masculini et faciet genetivum *ae* diphthongo terminatum primae declinationis, ut *Pelias Peliae* et *Thaumantias Thaumantiae.*

Probus cath. p. 23, 5 K. CLXXX[b]
las (si vocalem ante habuerint vel aliam consonantem praeter *c* primae erunt declinationis . . . .) si *l* habuerint, tertiae erunt declinationis; nam aut *dis* aut *tis* faciunt genetivo, ut *Pallas Palladis* vel *Pallantis.* quidam putant tunc *t* debere dici *Pallantis,* si nominativus *n* habuerit, tunc *Palladis,* si non habuerit *n* nominativus. sed errant. nam nullum de his nominibus *n* habet, sed differentia genetivi ab accentu nominativi cognoscitur. *Pállas* in *Pal* habens acutum *Pallántis* facit, *Pallás* in *las* habens acutum *Palládis* facit.

Probus cath. p. 24, 14 K. CLXXX[c]
mas . . . graeca indifferenter declinabuntur, et primae declinationis *ae* diphthongo terminato genetivo et tertiae *tis* terminato genetivo, *Mimas Mimae* vel *Mimantis, Garamas Garamae* vel *Garamantis*[2]), *Athamas Athamae* vel *Athamantis*; in nominativo sine *n* littera, in ceteris casibus cum ea: sicut[3]) *Pallas Pallantis*; nam *mimás* in *mas* acutum *dis* facit genetivo, *mimás mimádis,* et melius pereunte *s* littera de nominativo

---

[1]) *tyasτoy. adocτoadis* corr. *hyas thyas thyadis* B. Θυάς Θυάδος *Thyadis* Keil. Sed non respexit eandem vocem p. 22, 28 legi: *ias graeca dis faciunt genetivo declinationis tertiae, Thyas Thyadis*, ubi melius *Thyias* scribendum erat.

[2]) *Gyas Gyae vel Gyantis* B, Keil. Sed cum formae *Gyantis* ne ullum quidem vestigium exstaret, Neuius ('Formenl. d. l. Spr.' t. I p. 348) scripturam ed. priorum *Gras Grae vel Grantis* revocare voluit. At mirum accidit, ut neuter virorum doctorum animadverteret h. l. de nominibus in *mas* agi: quare *Garamas* restitui, quem Servius ad Aen. IV, 198 commemorat et Herodianus p. 55, 26 Lentz. inter nomina εἰς μας enumerat (cf. Neuius l. s. s. p. 148).

[3]) *sicut* scripsi pro *sic.*

fit nomen latinum primae declinationis *ac* genetivum terminans, *haec mima huius mimae.*

CLXXX[d] Probus cath. p. 25, 15 K.

nas . . . . . graeca tertiae sunt acuto in novissima syllaba contra rationem latinae linguae, sed *dis* facientia genetivo *Maenás Maenádis* nomen Bacchae: sic Persius [et Horatius][1]).

CLXXX[e] Servius ad Aen. III, 286.

Magni gestamen Abantis] Paenultima habet accentum.

CLXXX[f] Servius ad Aen. II, 476.

Una ingens Periphas] Ultima accentum non habet, ne femininum sit, nec tertia a fine, quia novissima longa est: ergo *ri* habebit accentum.

CLXXX[g] Papias de a. gr. (An. Helv. p. CLXXXII, 27 H.).

Sic quoque *Tiberiás, Herodiás* patronymicum servant accentum, quae graecum servant nominativum; ubi vero mutatio fit litterae aut temporis apud nos, latinae regulae servamus accentum, ut *Lýsia, Ásia.*

CLXXXI Charisius p. 68, 27 K.

Quae vero graeca flexo accentu proferuntur, haec inconfuso statu permanente secundum graecam declinationem ordinantur, *es* syllaba terminata, ut *Eumenês Eumenûs, Aithalês Aithalûs, Euprepês Euprepûs*; quamquam quidam sic declinari maluerint *Eumenêtis, Euprepêtis.*

Cf. Exc. Charisii p. 542, 3 K. Phocas p. 424, 5 K.

CLXXXII[a] Servius ad Aen. I, 100.

Ubi tot Simois correpta sub undis] *Simois* nomen hoc integrum ad nos transiit, unde suo est accentu proferendum: nam si esset latinum, in antepaenultima haberet accentum, quia secunda a fine brevis est.

CLXXXII[b] Servius ad Ecl. X, 18.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis] *A* habet accentum,

---

[1]) Cum *Maenás* non exstet apud Horatium, Keilius eius commemorationem potius ad *Thyás* nomen pertinere suspicatur p. 18, 7; sed illic *Troás* scribendum esse vidimus. Cogitari posset de *Mimante* (carm. III, 4, 53); sed potius a sciolo quodam adiectum esse *et Horatius* putaverim, qui de Menate (Μηνᾶς) cogitaret (cf. Velleius Pat. II, 73), quem ab Horatio epod. IV castigari putabant. Cf. XCVII[c].

quia graecum est nomen: tamen et[iam] latine sic dicimus: nam *Adon* nusquam lectum est.

Phocas p. 424, 25 K. CLXXXIII[a]

In *on* masculini generis propria desinunt, quae genetivum aut in ος aut in τος mittunt apud Graecos; ea nos tertiae declinationis esse asserimus, ut *Sinon Sinonis, Damon Damonis* (haec interdum apud Latinos demutata novissima *n* littera proferuntur) *Laocoon Laocoontis, Hippocoon Hippocoontis*; et quae in ος genetivum mittunt paenultima syllaba *o* productam habent in obliquis casibus, quae in τος correptam, exceptis duobus, quae in ος genetivum efferunt et *o* corripiunt *Mémnon Mémnonis, Agamémnon Agamémnonis.*

Servius ad Aen. I, 100. CLXXXIII[b]

Sarpedon: ubi tot Simois correpta sub undis] *Sarpedon* et in ultima possumus accentum ponere et in paenultima: nam Homerus et *Sarpedonis* declinavit et *Sarpedontis*, unde et varius accentus est: *Sarpedonis* enim [in] antepaenultima habet accentum, *Sarpedontis* [in] paenultima. Sed *Sarpedóntis* usurpavit; naturalis autem declinatio est *Sarpédon Sarpédonis*, ut *Mémnon Mémnonis, Sínon Sínonis*: si autem genetivum in *dontis* miserit, a circumflexo venit, qui est in ultima syllaba nominativi, ut *Demophῶn*[1]), *Demophῶntis*; [*Laocῶν, Laocῶntis*]: sic ergo et *Sarpedῶn Sarpedôntis.*

Servius ad Aen. X, 471. CLXXXIII[c]

Sarpedon, mea progenies] Secundum Virgilii declinationem, ut *nothum Sarpedonis alti*, paenultima[2]) habebit accentum in nominativo; secundum Homerum, qui et *Sarpedóntos* et *Sarpédonos* facit, et ultima et paenultima [syllaba habet accentum].

Servius ad Aen. XI, 659. CLXXXIII[d]

Quales Threiciae cum flumina Thermodontis] *Thermodoontis* plenum est *Thermodoon*, sed per synaeresin *Thermodôn* facit, unde *don* circumflexum habebit accentum. graeca enim nomina necesse est ut circumflectantur, quotiens fit sýnaeresis exigente

---

[1]) *Demopho*ῶν et *Laoco*ῶν Lion., Burmann., quod falsum est. *demifoôn tis laucoôn tis* Bern. 363. *Demophῶν Demophῶvtis Lycaῶn Lycaῶntis* Stephanus, Daniel. De *Sarpedôn* nomine fefellisse opinionem Servium non est quod dicam.

[2]) *paenultima* scripsi pro *ultima.*

metri [ratione vel] necessitate; ergo si sit *Thermodóon*, *do* acutum habebit accentum; quod si *Thermodôn* fecerit, et in finalem transfertur et mutatur accentus: nam circumflexus fit.

CLXXXIII[e] Servius ad Aen. VI, 173.

Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est] *Tríton* paenultima accentum habet, nam *Tritonis* facit. si enim ultima habeat *Tritôntis* facit, quod non procedit: ut *Demophŵn*, *Demophôntis*.

CLXXXIII[f] Probus cath. p. 9, 12 K.

Sed quoniam multa graeca vel barbara nomina reperiuntur generis masculini vel feminini (sc. in *on*) — nam latina exceptis supra positis et uno altero proprio *hic Idmon Idmonis o* et in nominativo et genetivo correpta, alia non inveniuntur —, observandum est, ut tunc producamus latine, si apud illos producuntur, ut *Sínon Sinônis*, *Rúbicon Rubicônis*, tunc corripiamus, si apud illos corripiuntur, ut *Mémnon Mémnonis*, *hic* et *haec Sáxon Sáxonis*; *hic Titan Pan*, *Titânis Pânis* vel *Titanós Panós*, ut Virgilius: *Panós de more Lycaei* sine alicuius declinationis ratione: nulla enim declinatio *nos* syllaba terminatur. excipitur unum *tis* faciens *Laócoon*, *Laocoóntis*.

CLXXXIV[a] Servius ad Ecl. II, 31.

Mecum una in silvis imitabere Pana canendo] Sane sciendum *Pâna Pa* habere accentum: graeca enim monosyllaba, quae ad nos transeunt, crescunt in obliquis casibus: et in genetivo et dativo tantum singularibus ultimae syllabae accentum dant, ut *Panós*, *Paní*, *lyncós*, *lyncí*; plurales [vero] etiam isti duo ita habent accentum, licet ad nos transire [non] possint.

CLXXXIV[b] Servius ad Aen. I, 232.

Quid Troes potuere] *Troes* erit nominativus *Tros*, et haec breviter scienda regula est; quia omnia enim nomina monosyllaba graeca, quae in latinum sermonem transeunt, tertiae sunt tantum declinationis et tam latine quam graece declinari possunt, ut *Trôs Trôis* et *Troós*, *Pân Pânis* et *Panós*, ut: *Arcadici dictum Panós de more Lycaei*.

CLXXXV[a] Servius ad Aen. III, 569.

Ignarique viae Cyclopum allabimur oris] *Cyclôpum clo* habet accentum, quia latina declinatio est; in accusativo, quia graece posuit *Cyclopas Cy* habet accentum; [si] *Cyclopes*, *clo* habebit [accentum].

Servius ad Aen. XI, 263. CLXXXV[b]
Exulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes] *Cýclopas*, graecae declinationis accusativus est, unde graecum habebit accentum: nam latine *Cyclôpes* diceret; sed sic versus stare non poterat.

Probus appendix p. 197, 7 K. CLXXXVI
Nomina cum accentu producto: . . . . . . Heliodôrus, Theodôrus, ... Polydôrus, Cloánthus, ... Euándrus[1]), tyránnus, ... grabâtum, lebêta, delûbrum, cratêra, umbilîcus, Seréstus, Sarpêdon, Adônis, ... Olýmpus, Cercôpes[2]), Penéleus, Pasipháe, Casŷrus, Phlegéthon, Sibýlla praesagus, Camílla, Anthêa, Camíllus, Tritônis, Alcânor[3]), Gulússa Agenoris.

Nomina cum accentu correpto: Cástoris, Héctoris, rhétoris, Mnéstoris, A'ctoris Aurunci, Laudámia, Cálybe[4]), báratrum, bárgina[5]), pálanges, Próchyta, Pélias, as . . . um[6]), Garámantas, árbuta[7]).

---

[1]) *Euándrus* supplevi: . . . . *rus* cod., cf. CLXXI p. 203.

[2]) *Cercôpes* scripsi; *cecrop* cod., *Cecropis* ed. Deinde *Casyrus* scripsi pro *Casybus*, quod nihili est.

[3]) *Tritonis*, *Alcanor* scripsi pro *Triton Alcanoris*, nisi forte et *Alcanoris* et *Agenoris* insequentibus adscripta exemplis alieno loco irrepserunt.

[4]) *Calybe* scripsi; in cod. *ca . . be* apparet, cf. Verg. Aen. VII, 418; quod nomen etiam p. 194, 29 restituere debebat Keilius.

[5]) *bargina* scripsi pro *barcent*. Cf. Velius Longus de orth. p. 2245: *bargina non bargenna i. homo vitiosae gentis.*

[6]) *Astacum*? Antea *Pelias* scripsi pro *pelicis* (*paelicis* Keilius). Cf. p. 194, 11 K. et CLXXX[a].

[7]) An *A'rbela*? Herodianus p. 322, 9 Lentz.: Ἀρβέλη πόλις Σικελίας. Nam *arbuta* et forma nominativi pluralis offendit et cum ceteris exemplis nihil commune habet.

INDEX CAPITVM
CVM DISPVTATIONIS SVMMARIO

INDEX RERVM ET VOCABVLORVM*)

*) In artis vocabulis indicandis rarioribus, velut *tenor*, *inflexus*, omnes locos adscripsi, tritis, velut *accentus*, *circumflexus*, selectos; de exemplis praeter graeca nomina ea in indice exhibui, quae aliquid valerent ad pernoscendam sive vocalium positione longarum quantitatem sive compositionem sive aliam rem.

INDEX SCRIPTORVM

ADDENDA ET CORRIGENDA

p. 6 v. 1: CLXXIV[d] l. CLXXIV[h]
p. 7 v. 11: multis l. vultis
p. 8 adn. 3 v. 2: LII[e] l. LII[l]
p. 9 adn. 2 v. 2: XVII l. CVII
p. 10 v. 1: XCVI[c] sqq. l. XCVII[c] sqq. (cf. XCVI[b])
p. 11 v. 20 et 25: LXXV[a], LXXV[b] l. LXXVI[b], LXXVI[c]
p. 14 adn. v. 5: XCV[d] l. XCVI[d]
p. 37 adn. 1 v. 3: LXXII[e] l. LXXIII[c]
p. 41 adn. 1 v. 3: ἀντανακλαζομένη l. ἀντανακλωμένη (cf. p. 81 adn.)
p. 46 v. 19: LXXIII[d] l. LXXIV[d]
v. 22: LXXIV l. LXXV
p. 49 adn. 3: *add.*: et schol. in Dion. Thr. p. 684, 23 Bk.
p. 81 v. 9: Harmocraten l. Hermocraten
p. 99 (LII[m] sq.): *cf.* Ind. rer. et voc. *v.* parum *et* purum
p. 107 (LXVII) *hanc tentavi loci conformationem*: longa autem duobus modis efficitur, natura et positione: natura cum vocalis producitur aut cum diphthonga reperitur, cum monosyllaba circumflexum accentum tenet, disyllaba circumflexum vel acutum in paenultima, in qua quae natura vocalis est longa reperitur, cum prima syllaba sub alia forma cuiuscumque verbi composita nec vocalem nec acumen mutat. *Cf.* p. 157 adn. 2
p. 137 v. 18 (XCI[f]): ibi sa l. ipsa sa; *cf.* p. 190 (CLVI): ipsa vi

